

PRAXEOS MEDICÆ UNIVERSÆ PRÆCEPTA

AUCTORE

JOSEPHO FRANK

AUGUSTISSIMO IMPERATORI ET TOTIUS ROSSIAE AUTOCRATORI A CONSILIIS COLLEGIORUM, EQVITE ORD. ST. WLODIMIR IV. CLASS., LILIO GALLICO DECORATO, THERAPIAE SPECIALIS ET CLINICES IN CAESAREA UNIVERSITATE VILNENSI PROFESSORE, AC SEMINARII MEDICI IMPERATORIS MUNIFICENTIA CONDITI PRAEFECTO, CONSILII MEDICI PETROPOLITANI ET CAESAREAE ACADEMIAE MEDICO-CHIRURGICAE, SOCIETATUM PHILANTHROPICAE PETROPOLITANAE, NATURAE SCRUTATORUM MOSQUENSIS, MEDICORUM VILNENSIS, ACADEMIAE MEDICORUM VENETAE, SOCIETATIS AGRICULTURAE STUDIOSORUM FLORENTINAE, SCIENTIARUM ET ARTIUM ARGENTORATENSIS, ACADEMIAE MEDICAE, SOCIETATUM GALVANICAE ET MEDICAE PARISIN., R. JENNERIANAE, MEDICORUM ET NOSOCOMII A GUYO LONDINI DENOMINATAE, ORDINIS MEDICO-CHIRURGORUM LUCCENSIS, SOCIETATIS PHYSICO-MEDICAE ERLANGENSIS, MEDICAE MARSILIANAE ETC. ETC. SODALI.

PARTIS SECUNDAE VOL. SECUNDUM,

CONTINENS

DOCTRINAE DE MORBIS SYSTEMATIS NERVOSI IN GENERE, ET DE IIS CEREBRI IN SPECIE

SECTIONEM SECUNDAM.

EDITIO SECUNDA.

TAURINI

SUMPTIBUS CAJETANI BALBINI BIBLIOPOLAE

MDCCCXXI.



EXCUDEBANT CHIRIO ET MINA.

DE
MORBIS NERVOSIS
SECTIO SECUNDA.

CAPUT XI.

DE SOMNAMBULISMO.

§. XLVII.

DEFINITIO. LITERATURA.

Definitio.

1. Munia vigilantis hominis in somno ceterum sano exercita *somnambulismum* (52) designant.

Literatura.

2. Singularis, et admirabilis hujus passionis

(52) Morbus *Graec.* σελῆνοι Noctegersia, Hypnobatosis et Nyctobasis. *Latin.* Noctambulatio. Noctisurgium, ambulatio in somno, nocturna insania SCHENKII, mania somnii PARACELSI, sopor vigilans PLATERI, Oneirodynia CULLEN, Rhembasmus SWEDIAUR. *Germ.* Die Mondsucht. Das Nachtwandeln. *Gall.* Maladie des somnambules. *Angl.* Sleepwalking. *Polon.* Lunatysm. Aegri lunatici, noctivagi, noctivadentes, ambulones LEMNII, Errones. *Germ.* (quondam) Mondensüchtige. Mondenschichtige.

mentionem injecerunt (53); HIPPOCRATES (54), ARISTOTELES (55), GALENUS (56), DEL-CONIMBRIONSES (57), LAURENTIUS (58), SCALIGER (59), LANVIUS (60), PETRUS SALIUS DIVERSUS (61), LIBANIUS (62), BONETUS (63), FR. VALERIOLA (64), ZACUTUS LUSITANUS (65), HELMONTIUS (66), SYLVIUS (67), WILLISIUS (68), COELIUS

(53) Praeter auctores mox laudandos, quorum elenchum peculiari studio colligere sategi, plurimi etiam alii a GREGORIO HORSTIO, ut ALBERTUS, TOLETUS, TATARETUS, MIZALDUS, FRACASTORIUS, BODINUS, COELIUS adducuntur.

(54) Epidemicor. p. 252.

(55) De generatione animal. c. I.

(56) De motu musculari. Lib. I. c. 4. Comment. I. in Lib. III. Hippocr.

(57) Lib. de somno, et vigilia.

(58) Hist. anatom. Lib. IV. quaest. 11. p. 208.

(59) Lib. de subtil. ad Hieron. Cardan. Exerc. I. Sect. I.

(60) Epist. II. epist. 45.

(61) Lib. de affect. particular. cap. 18.

(62) Part. II. singul. tract. de somnambulis. p. 259.

(63) Sepulchret. anat. Lib. I. Sect. V. p. 152.

(64) Lib. II. observat. med. obs. 4.

(65) Med. pr. historia. Lib. I. N. 15.

(66) Tract. demens idea. §. 37. p. 269. Tract. pharm. §. 54. p. 136. (Quamnam mereatur fidem, vid. operis mei praesentis P. I. Vol. I. §. VI).

(67) Prax. med. c. 33 p. 474.

(68) De anima brutorum. c. 26. p. 141.

RHODIGINUS (69), JACOBUS HORSTIUS (70), MOEBIUS (71), TANDLER (72), FONSECA (73), MARCELLUS DONATUS (74), SENNERTUS (75), PLATER (76), FABRICIUS HILDANUS (77), ETTMULLER (78), GREGORIUS HORST (79), J. LANZONIUS (80), MAJOLI (81), DEL-RIO (82), JONSTON (83), BLANCARDUS (84), HAEFFER (85),

(69) Lect. antiquor. 1517. Lib. XVI. c. 36. recens edit. Lib. XXX. C. I.

(70) De natura, differentiis, et caussis eorum, qui dormientes ambulant. Lips. 1593. (Vid. HALLERI bibl. med. pract. Vol. II. p. 216, quo loco videbis etiam eundem auctorem de *dente aureo*, vera impostura, scripsisse, quod retinendum).

(71) Epist. anat. med. L. II. Part. 2.

(72) Diss. de noctisurgio. Wittemb. 1602.

(73) Consil. med. T. II. Consil. 100. p. 576.

(74) Hist. med. mirab. Lib. II. c. 1. p. 93.

(75) Pr. L. I. P. II. c. 10.

(76) Observat. L. I. p. 12. Praxis. med. cap. 4.

(77) Op. med. chirur. Cent. II. obs. 84. 85.

(78) L. I.

(79) Diss. de noctambulis. vid. Opera med. Norimb. 1660. Institut. medicar. Disp. III. Coron. II. p. 204. Quaest. XI.

(80) In miscell. nat. cur. Dec. III. an. V. et VI. obs. 119.

(81) Dierum canicul. T. I. Colloq. 4. p. 87.

(82) L. I. Disquis. magic. c. III. Qu. 3. p. 22.

(83) Thaumatogr. natur. clas. 10. c. 6. art. 6. p. 487.

(84) Institut. c. XXI.

(85) Hercul. med. L. I. c. 4. de affect. capitis. p. 50.

Ab Heer (86), Pomarius (87), Salzmann (88), Schenkius (89), Lemnius (90), Gottofred. Moebius (91), Schottus (92), Heckler (93), Caballis (94), Hermes (95), Theisnerus (96), Theodor. Craanen (97), Albinus (98), Fr. Hoffmann (99), Steffanius (100), Zwinger (1), Bohn (2), Bougeant (3), Knoll (4),

(86) Obs. med. N. 2.

(87) Diss. I. et II. de noctambulis. Wittemb. 1649.

(88) Diss. de somnambulismis. Argent. 1651. 1663.

(89) Diss. de ambulatione in somno. Jenae 1671. observ. L. I. p. 127.

(90) De occultis naturae miraculis. L. II. c. 5.

(91) Epit. institut. L. II. P. II. c. 12.

(92) Phys. curios. L. III. c. 22.

(93) Diss. de noctambulis. Giesae 1665.

(94) Act. erudit. a. 1688.

(95) Diss. de somnambulis. Brem. 1669.

(96) Diss. de ambulatione in somno. Jenae 1671.

(97) In observat. super Henric. Regii. Prax. med. Lib. I. medicat. 10.

(98) Diss. de somnambulismo. Fr. 1689.

(99) Diss. de somnambulis. Hal. 1695. Op. Suppl. II. 2. p. 230. Etiam sub nomine *Hofsteter*.

(100) De somnambulis. Bas. 1701.

(1) Diss. in fascic. diss. med. select. Basil. 1710.

(2) Casus aegri noctambulat. morbo laborantis resolutus. Lips. 1717. Haller coll. diss. pr. Vol. VII. p. 438.

(3) *Observations curieuses.* T. B. p. 256.

(4) *Abhandl. eines kurzl. vorgefall. Nachtwandlens. Halberst.* 1747. *Abhandl. v. d. Nachtwandlen. Quedlieb.* 1753.

Roeper (5), Pagani (6), Soave (7), Richter (8), Meer (9), Sauvages (10), Fricke (11), Hissmann (12), Hennings (13), Pigatti (14), Levade (15), Borsieri (16), Van der Belen (17), Darwin (18), Unzer (19), Wienholt (20),

(5) *Von d. Wirkungen der Seele in d. menschl. korper. nach. Anleit. der Geschichte e. Nachtwandlers. Halberst.* 1748.

(6) *Aggiunta alla Storia del Sonnambulo.* Vicenza 1751.

(7) *Opuscoli scelti.* T. III.

(8) Diss. de statu mixto somni, et vigil., quo dormient. multa vigilantium munera obeunt. Goett. 1756. Op. Vol. II.

(9) *Versuch e. Erklarung des Nachtwandlens.* Halle 1758.

(10) Nosologia method. T. III. P. I. (Class. VIII. Genus VI. p. m. 306.

(11) Commentatio de noctambulismo. Hal. 1773.

(12) *Briefe ub. Gegenstande der Philosophie.* Gotha 1778.

(13) *Von den Traumern u. Nachtwandlern.* Weimar 1784.

(14) *Journ. encyclop. de l'an* 1762. *Sonderbare Geschichte des* S. B. Nigretti, *eines Nachtwandlers. Nurnb.* 1782. item: *Magaz. z. Erfahrungsseelenkunde v.* Moritz *u.* Pockels. 7. B. 2. St. p. 70. Berl. 1789.

(15) *In Mémoires de la Société des Sciences physiques de Lausanne.* Vol. 3. N. 20. 21.

(16) Op. c. T. III. cap. V.

(17) Diss. de somnambulatione. Lovan. 1786.

(18) Zoonomia. Vol. I. Sect. XIX.

(19) *Der Arzt.* 74. St. p. 337.

(20) *Sieben psychologische Vorlesungen über d. natürlichen Somnambulismus. Lemgo* 1805.

Feder (21), Schubert (22), Schloezer (23), Yeats (*), aliique (24).

§. XLVIII.

SYMPTOMATA. CAUSSAE.

Symptomata.

1. Homo somnambulismo subjectus veluti sanus cubitum petit, ac somno plerumque normali indulget, donec post horam unam, alteramve, praevia aliquando inquietudine, nunc silens, nunc tumultuans vel clausis, vel apertis oculis, immobili pupilla, circumeat, et aut pauca, et vilia, aut plura miraculosa vigilantibus impossibilia moliatur, iterumque cubitum petens tranquille obdormiat. Fertur de somnambulo, qui

(21) In Moritizen's *Magazin f. Erfahrungsselenkunde.* 2. *B*

(22) *Ansichten.*

(23) Diss. de somnambulismo. Vilnae 1816.

(*) *Medical transact. published by the college of Physicians in London. Vol V.*

(24) Eph. nat. cur. Dec. II An. V. Obs. 189 Dec. III. an. IV. obs. 27. An. V. et VI. obs. 119 Cent. V. et VI. obs. 7. *Mémoires de l' ac. des Sciences. à Paris.* 1742 *p.* 409 *Literaturbriefe.* 6. *Th. N.* 97. *Opusc. scelti.* T. 3. p. 265 *Hamburg. Magazin.* 7. *B. p.* 489.

clausis oculis noctu surgebat, et oberrabat, clavem vero secum portabat, januam post se clausam rediens aperiebat, ac hanc clavem consulto ab aliis subter pulvinar absconditam inveniebat (25): de duabus monachis, quae fere singulis noctibus apertis oculis totum monasterium perambulabant, per scalas cursim descendebant, et ascendebant, lumina accendebant etc. (26): de famulo, qui equum constitutis horis ad foras praefecti deducebat sub somno, quadam nocte ephippium imposuit, fraenum adaptavit, stapedis lorum pro more arripuit, ad facilem domini adscensum, praeivit illi lanternam gerens: iis, qui in excubiis erant, cum acclamarent, *qui va là?* respondebat, *sergent major* etc. (27): de somnambulo, qui nudus surgebat, silens ad fenestram pergebat, funem e trochlea pendentem arripiebat, et in domus fastigium prorepens in picarum nidum incidit, pullos indusio involvit, eosque ad lectum retulit bene inde dormiens (28): de alio, qui noctu surgens pluteum aperuit, scripsit, saepius alta voce quod scripserat relegit, demum

(25) Helmontius l. c. p. 136.

(26) Wepfer obs. med. pract. Ob. 44. p. 335.

(27) Bonet Thesaur. med. pr. L. II. Cap. 20. p. 718.

(28) Jac. Horstius. p. 173.

cum risu, et cachinno sibi ipsi applausit (29): de alio, qui somnians se propter negotia sua equitaturum esse, e lecto surgens, indutus vestimentis suis, cothurnisque, et calcaribus appositis, super fenestram conscendit, et hinc indeque divaricatis cruribus parietem, perinde ac si equus esset, et voce, et calcaribus ad cursum incitabat (30): de alio, equite Malacensi, qui quasi Mauris obviam iturus, surrexit noctu, arma coepit, et ad littus equitavit (31): de alia, quae sub somno varias perfecit gesticulationes, et non solum varia colloquia incipit, clare ridet, et flet, sed et ceteros animi motus mimi versati instar exprimit, mappas in lecto jacentes in literarum speciem complicat, petit lumen, quaerentibus, cuinam illas datura sit, hanc vel illam amicarum suarum nominat, recitatque, schedam inscribit sermone gallico, obsignat, ac, veluti famulae illam porrigens, cursui publico tradi jubet (32): de alio, qui artem gladiatoriam exercuit (33): de alio, qui fornacem ad ligna ordinanda in-

(29) Ab Heer l. c. p. 32.

(30) Salius Diversus l. c.

(31) Reies elys. jucund. quaest. camp. Qu. 37.

(32) Acta Vratisl. 1722. Feb. Class. IV. Art. 2. Cfr. Unzer *der Arzt.* 3. *Th.* 74. *St. p.* 295.).

(33) Schenck l. c. obs. 137.

travit (34): de alio, qui sub somno filum per acus foramen ducebat (35): de alio, qui oculis clausis ex chartis musicis ludebat super cymbalum (36): de alio, qui orationem sacram concinnavit, cacophonias, et errores ortographicos emendabat (37): de alio, qui carmina composuit (38): alioque, qui ea composita recitabat ita, ut ad illum audiendum multi in domo ejus pernoctarent, et eximios sibi a doctrina ejus profectus promitterent (39): de alio, qui acus puncturam non percipiebat (*): de alio denique, qui famuli officium peragebat, comedebat, bibebat, sine gustu tamen (40). Quibus exemplis tria ex nostra experientia desumpta ad calcem addemus (41). E somno vel sponte,

(34) Libavius l. c. p. 2.

(35) Knoll. l. c. p. 110.

(36) Feder l. c. p. 83.

(37) *Dictionnaire universel raisonné des connoissances humaines. T.* 38. et Wienholt l. c. p. 22.

(38) Schubet l. c. p. 351.

(39) Eusea. Nierenberg philosophia curiosa. Lib. II. c. 25.

(*) Monboddo *antient metaphysics. Lond.* 1782.

(40) Pigatti l. c.

(41) *Observatio I.* Vidua viginti sex annorum e stirpe plicosa descendens, constitutionis scrophulosae, nutricis officio per septem menses exercito, menstruis sine nota caussa privatur. Hinc a bimestri infirmior, morosa, taciturna, irascibilis, sociarumque impatiens noctes ita turbatas habuit,

vel vi excitatus somnambulus aliquando furio-

ut vix lecto recumbens vociferare, surgere, huc illuc vagari, infantem, quem lactabat, manibus vibrare, nullo clamore, nisi nominis compellatione, aut fortioribus ab hero alapis inflictis excitari consueverit. Die septima maii 1815 in clinicum institutum recepta, ac per unam, et viginti noctes observata, has fere somni turbas exhibuit. Femina decimam inter, et primam horam noctis, vix aliquo, aut et longiori somno usa, subito jactat porrigitque corpus, brachia, oculosque saepius fricat, dyspnoea frequenter angitur, ea remittente crebro gemitu, et vociferatione quasi acerrimi doloris sensum, gestusque hominis veluti sceleris conscientia agitati prodit. Quas inter corporis volutationes mira quadam loquacitate garrit de rebus domesticis, de infante, cui sibilando veluti somnum conciliat, saepissime autem de morbo, quodque maxime mirum, quaestionibus cuique horum objectorum suo tempore accommodatis apte respondet: spasmos itaque capitis, lumborum, abdominisque dolorem, sitim, famem, nec non pruritum universalem incusat: balnea vero, sanguinis missiones, frictiones camphoratas, prunorum domesticorum, nec non foliorum sennae usum certissima morbi remedia fore indicat; sermocinationis vero filum, seu somno tranquilliori intercurrente, seu alio modo praeruptum scite colligit. Interea en aegram semel, vel bis de nocte festinanter e lecto prosilientem, vestes more vigilantium prius examinatas circumcingentem, eas consulto absconditas, arrepta aut quaesita candela, invenientem, sabulam plantae pedis inhaerens, antequam calceamenta indueret, abstergentem, acceleratoque, et vacillante gressu cubicula permeantem, et, quin oculis apertis candela opposita, aut adstantium numero turbaretur, foras

sus evadit (42), semper pernescit quid perege-

petentem, ibique, abjecta omni pudicitia, trullae insidentem; ast nil unquam excrevit, eademque via lectum repetiit; vestes suo loco deponendas exuit, pulvinaribus opposito in latere consulto stratis nil cunctans rite sese componit. Haud vice simplici in itinere suo horologium aspiciens horam recte indicabat, sedilia opposita arte evitabat, e permultis poculis illud aquam continens eligebat, idque genus alia in obscuro ceterum loco perficiebat. Interea omnes istae turbae crebro, ast perbrevi somno quietiori interrumpi, sed cessantibus ante auroram jactationibus placidus binarum vel trium horarum somnus aegram reficere solebat. Eadem interdiu frustra de noctu actis interrogabatur. Praesagio aegrae nocturno, quantum fieri licuit, morem gerentes, venaesectionem, balnea, lenia alvi subducentia in usum ducebamus, addito, cum morbi longior duratio dispositionem in maniam aliquomodo denotaret, tartaro emetico, dosi ad grana octo sensim prolata. Quorum, uti videbatur, beneficio, expeditis menstruis copiose per triduum fluentibus, morbus ita exstinctus fuit, ut femina hucusque incolumis vivat.

Observatio II. Juvenis rusticus sedecim annos natus, ingenio pro aetate, et conditione sua sagaci pavidus, et meticulosus, dum patrem ante aliquot hebdomadas repentina absumptum morte lugebat, ipsam mediam ad noctem duos ignotos, horribilesque viros in somno sibi vidisse erat visus: tum conclave tardis passibus ingressos lectum ejus accedere, ac, ut ipsos protinus sequeretur, vultu minaci, voceque aspera evocare, quod ni faceret, proxima nocte vi correpturos tracturosque secum. Juvenis prae formidine excitatus majori moestitiae sese dedit. Biduo inde

rat, et quid factum ab eo inscio, admiratur,

exacto, dum placidum carpebat somnum, ecce pallida defuncti parentis umbra in eorundem virorum comitatu aegro juvenis animo obversatur, ac sectatores illos, ut filium, quanquam invitum, secum portent manibus, jubet. Fertur per amoenissima, et immensa camporum spatia, audit jucundos fidium, tibiarumque cantus loca omnia personantes, videt juvenum per prata laetissima saltantium choros, epulisque opimis in optimatum corona fruitur. At subito rerum omnium pervertitur facies. Nimirum, evanescente patris imagine, duri illi comites juvenem in aëra sublatum subito in dolium projiciunt. Postridie famulae contubernales vaccas mulsum euntes, juvenem in stabulo, reipsa dolio vacuo inclusum levi stragulo, quod secum abstulerat, contectum, eumque frigore obrigescentem (hyems enim tum, rigida erat), et prope exanimem inveniunt. Frictionibus ac leni calore excitatus praeter enarratum somnium nihil quicquam recordabatur. Exacta hebdomade iterum media nocte e lectulo discessit, sed januam clausam frustra aperire conatus mox ad cubitum sese contulit. Deinceps morbus omnino cessavit.

Observatio III. Sartor judaeus pauper 24 annorum, ex gubernio Witepsk, constitutionis sat gracilis mense octobri 1816 servitii quaerendi caussa Vilnam pervenit, atque, quo primum vires ab itinere pedestri amissas recuperaverat, sequentia mihi, multisque aliis exhibuit. Cubitum petens somno sano spatio dimidiae horae fruebatur. Dein oculis, et ore adapertis, pupilla tamen admota luce immobili, humili voce, at distincte preces suas consuetas hebraicas praecinebat. Ad nonnullas vero earum strophas perventus, en derepente vocem ad vehementissimos ejulatus usque at-

aut per somnia talia apparuisse firmiter sibi persuadet. Expergefit autem saepe per nominis sui acclamationem; alias ne humum quidem cadendo (43). Fertur de somnambulo, quem uxor nullo pacto in lecto retinere potuerat (44).

Caussae.

2. Somnambulismus vitium est aliquando hae-

tollebat, additis simul singulis rabbinorum in templis gesticulationibus. Tunc faciem pallidam, motus convulsivos veluti fletum exprimentes prae se ferebat. Corporis universa superficies sudore copioso, viscido, frigidoque cooperiebatur cum pulsu contracto ad 130. Scena haec stupenda a placidiore orandi modo excipiebatur, subsequente citius, tardiusve novo furore, et sic alternatim per horam unam, alteramve, donec scilicet preces terminum praescriptum attigerint. Concusso fortiter aegro terrefactus evigilabatur; ast concessa de novo quiete, iterum in somnum incidebat, quo vigente filum precum *ibi*, *ubi abreptum fuerat*, exacte reassumebat. Vigil se rerum sub somno peractarum haud recordari fassus est. Narrabat tamen de somnio habituali, sub quo illi judaeus senex, barba candida instructus, et librum secum gerens apparere solet, aiens: surge et lege. Malum, de quo agitur, ab infantia repetit juvenis, caeterum sanus, asserens et fratrem suum simili pacto laborare. Paroxysmi quotidie exceptis die martis, et casu defatigationis inconsuetae corporis, recurrere erant soliti.

(42) Soave l. c. p. 265.

(43) Theisner l. c. p. 20.

(44) Ab Heer l. c.

reditarium (45) adolescentes, juvenes, et viros crebrius, quam infantes, pueros, et senes, aut feminas afficiens, nulli temperamento parcens (46), crebrius apud hypochondriacos (47), et homines ultro citroque discursantes, mirisque uti gestibus solitos (48) obveniens, cui in praedispositis ansam dare solent aër humidus, nebulosus (49), plenilunium, praecipue si radii lunares caput dormientis allidant (50), vinum (51), cerevisia crassa, lupulata, fortis, semina papaveris, pisa, fabae, lactuca vespere in coena largius sumpta, vermes, percussio capitis (52); *ad caussam proximam* quod attinet, communi consensu (53) in phantasia per aliquod objectum, quod ipsa sibi vel memoria repraesentat, irritata, ponitur ita, ut homo, sensibus

(45) WILLIS l. c.

(46) LIBAVIUS l. c. p. 358. JAC. HORSTIUS l. c. p. 135. 226. TANDLERUS l. c. p. 171. contra RHODIGINUM temperamentum melancholicum inculpantem.

(47) SALIUS DIVERSUS, HECKERMANN, RHODIGINUS, SCHENK.

(48) LEVIN LEMNIUS l. c.

(49) JAC. HORST l. c.

(50) MACROBIUS L. VII. Saturnal. c. 16. SENNERTUS l. c. cap. 19. p. 121. MOEBIUS l. c. p. 258.

(51) AB HEER l. c. LIBAVIUS l. c. p. 266.

(52) LEVADEL l. c.

(53) SYLVIUS l. c. p. 474. BLANCARDUS l. c. p. 434. BOHN §. 17. FR. HOFFMANN §. 8.

externis quasi ligatis, ratione obscurata, per phantasiam concitatus cogitur e lecto surgere, ambulare, et sic ad propositi finem usque agere. Pro varia autem objecti indole variae excitantur actiones. Sic adolescens de servitiis ad mensam in convivio propediem celebrando, parentum repetito monitu sollicitus, vespera tandem convivii diem praecedente circa mediam noctem surgendo, et ambulando triclinium adiit, exinde cochlearia, mappulas, cultros auferre volens (54); sic juvenis post rixas inter studiosos Hispanos, et Gallos Montispessulani alto somno oppressus, derepente se attollens, arma capiens, fores aperiens, multa obmurmurans quasi furiosus prosilire est visus (55); sic juvencula casta prima matrimonii nocte somnians, virum quendam sibi vim inferre velle, fugam in somno tentavit (56); sic tandem virgo furore uterino cum frequentibus pollutionibus nocturnis vexata, sub somnambulismo forficem majorem in uteri vaginam violenter intrusit, seque hac ipsa sauciavit sat periculose (57). Praeterea quivis actiones temperamento suo respondentes peragere vi-

(54) Fr. Hoffmann l. c. §. 5.

(55) Valeriola l. c.

(56) Salius Diversus l. c. Theod. Craanen l. c. p. 95.

(57) Cabaelis l. c. et Albinus l. c. p. 29.

detur: bellicosus saltem erat somnambulus gladiator, de quo SCHENK (58) refert.

§. XLIX.

DIAGNOSIS.

Somnambulismus simulatus.

1. Ne noctivagantes illico pro somnambulis declaremus! Illorum enim multos, eheu! quaevis urbs, praesertim scientiarum universitatum sedes continet (59). Nec *simulati somnambulismi* inprimis clandestini amoris caussa desiderantur exempla (60). De criteriis hic in usum ducendis alibi (61) actum est.

Somnambulismus an morbus?

2. SALIUS DIVERSUS (62), et ETTMULLERUS

(58) L. c.

(59) Legatur quod Jesuita BELLARMINIUS (Op. T. VI. conc. 6.) de discipulis suis Lovaniae, quodque B. FRANZIUS P. I. hist. animal. c. 25 de helluonibus dixerant, quorum auctorum verba a BOHNIO (l. c. §. 2) referuntur.

(60) BOHN l. c. §. 12.

(61) Cap. VI. §. XXXII. 4.

(62) L. c.

(63) somnambulismum e morborum civitate excludunt. Erroneam hanc opinionem GR. HOHST (64), FR. HOFFMANNUS (65), et THEISNERUS (66), aliique refutarunt: ac re quidem vera, nisi somni ad functionum integritatem tam necessarii perturbatio, eaque per phaenomenon tam arduum, ut somnambulismus, effecta, morbosa haberi posset, dimidia morborum pars ex compendiis medicis exulare deberet. Sunt porro qui indolem quidem morbosam noctambulismi concedentes hanc passionem tamen nihil aliud, quam aliorum morborum symptoma (67) cum comate, caro, et lethargo (68), vel cum incubo, ac vertigine (69) affinitatem servans, declarent. Nostram hac in re opinionem jam alibi exposuimus (70).

Limites.

3. Cum in somno etiam normali homo manus, et pedes de loco in locum transferre, nunc de latere in latus sese movere, modo in dor-

(63) L. c. p. 425.
(64) L. c.
(65) L. c. §. VI.
(66) L. c. p. 7.
(67) THEISNERUS l. c. p. 7.
(68) SENNERT l. c.
(69) MOEBIUS l. c.
(70) Cap. I. §. II. 1.

sum, modo in ventrem se convolvere, seque erigere possit; *non omnis sane dormientium motus* pro somnambulismo declarandus est. *Somniloquentia* fortasse excipi, ac singularis ejusdem morbi forma haberi mereretur. In somnio saltem magis motum minorum musculorum voci, et articulationi verborum inservientium, quam majorum illum corpus e loco moventium admiramur. Et homo secreta sua sub somno enuncians certe somnambulo non felicior. Praeterea somniloquentiam somnambulis junctam fuisse constat (71). Ad somnambulismum autem conditio ea minime pertinet, sub qua *ebrii* aliquando surgunt ad naturae postulatis satisfaciendum, neque id satis vigilanter, ut LIBAVIUS de sartore quodam narrat (72). Tandem ad somnambulismum quoque non revocamus statum eorum, qui per plana iter facientes, et sub eodem somno capiti sensim obdormiscunt, dormientesque aliquo usque progrediuntur, donec ad minimum obstaculum allidentes iterum expergiscantur, quod GALENUS de se ipso con-

(71) HENR. AB HEER L. I. obs. 2. p. 34. Vir surgens noctu, et ambulans comitanti uxori omnia, quae per diem callide celaverat, sincere exposuit, et secretissimos cordis sinus aperuit, post haec multum miratus, unde experta esset, quae a vigili marito nullis blanditiis elicuisset.

(72) L. c. p. 266.

scripsit (73); aut conditionem illius, qui, ut Platerus (74), testudinem a coena pulsans, et obdormiens in lusu nihilominus pergebat, quod adstantes asseverarunt; vel casum in typographo observatum, qui graecum exemplar corrigens, et obdormiens a lectione tamen non cessavit (75). Contra vero ad somnambulismum efficiendum id nequaquam requiri nobis videtur, ut homo sub somno absolute *nocturno* vagetur, aut ut necessario *de lecto* surgat: cum in eo theologo, de quo Castellius (76) narrat, in *somno meridiano* deambulante, singulae somnambulationis notae inveniantur; cumque celeberrimum aegrum Nigretti (77) super sedile noctu sedentem, obdormientem, et dein vagantem nemo non somnambulis adnumeraverit.

Conclusio.

4. Quibus omnibus collectis in ea versamur opinione, ad somnambulismum constituendum opus esse, ut *somnus*, qui ambulationi ansam praebet, ceterum per se *sanus*, et *normalis*

(73) L. c. 4.

(74) Obs. Lib. I. p. 12.

(75) Plater l. c. p. 11. Bohn l. c. §. 4.

(76) Lex. graec. lat. p. 674. sub voce somnambul.

(77) Pigatti l. c.

sit, et inprimis cum consuetudine cubitum petendi cohaereat, ut munia sub eo exercita non sistant *continuationem* eorum, quae tempore adhuc vigiliae locum obtinuerant, ut *ebrietas*, quatenus peculiarem morbi formam efficiens, excludatur, utque *motus* sub somno aegrum de loco moveant.

Somnambulismus differt a somniatione.

5. Posito igitur, somnambulationem legitimam ex somno aliunde sano, normali, habitaque ratione consuetudinis cubitum petendi, evolvi debere, per se patet, phaenomena somnambulismo plus minus similia, quae in somno morboso abnormi, et a consuetudine sana aberrante, ut effectus vel caussae accidentalis, vel operationis magnetismi animalis oriuntur, nullo pacto pro genuino somnambulismo haberi posse. Amplectimur ea vocabulo *somniationis*, ut ex capite sequenti patebit.

Varii gradus.

6. Somnambulismus quoad gradum ab auctoribus (78) dividi solet in *ordinarium*, seu *consuetum*, et in *rarum*, seu *extraordinarium*. In *illo* aegri tacite in cubiculis vel domus parte interiori deambulant, iterumque post

(78) Bohn l. c. §. 13. Sauvages l. c. p. 308. Borsieri l. c. §. 161. 162.

moram ad lectum redeunt; in *hoc* talia ab iis suscipiuntur, qualia demirari satis nequimus. Admittit porro somnambulismus divisionem in *simplicem*, et *complicatum*, in *accidentalem*, *habitualem*, *furentem*, et *periodicum* a LANZONIO (79) descriptum. *Somnambulismum cataleptcum* SAUVAGESII ad *somniationem* revocamus.

Indoles.

7. *Indolem* somnambulismi variam esse, tum e caussarum, quae illi occasionem praebent, diversitate, tum ex multiplici medendi ratione efficitur. Interea extraordinarium morbum inter consuetos diathesium cancellos revocare non audemus. Id solum secure affirmare licet, saepe plethorici, haud raro gastrici quid latere, ne dicamus de peculiari sensus cerebri exaltatione ad diathesin nervosam revocanda.

§. L.

PROGNOSIS. CURA.

Prognosis.

1. Periculo somnambulismus non caret, cum aegri sibimetipsis (80), aut aliis (81) vim in-

(79) L. c.

(80) ZACUTUS LUSITANUS (l. c.) de juvene bilioso narrat, qui

ferre queant. Plerumque tamen minus, quam vigiles a lapsu offenduntur (82). Facilius morbus in pueris, et feminis (83), quam in adultis, et maribus curatur. Appropinquante senectute aliquando sponte evanescit (84). Alias in melancholiam (85), epilepsiam (86), et apoplexiam (87) transit.

inter dormiendum repente e lecto surrexit, arma capiens, foresque aperiens furiosus veluti, et multa obmurmurans in plateam exiit, et solus rixabatur hostes impetuose confodere imaginatus: donec in solum irruens parum abfuit, quin contorto gladio vulnere in pectore sibi inflicto, vitam adimeret. Hoffmann viri exemplum refert fenestram pro lecto adeuntis, qui in plateam devolutus mortem oppetiit (l. c. §. 5.). Recentissimus hujus generis casus enarratur in *Oesterreichischen Beobachter.* 1816.

(81) Mendoza (Viridar. Problem. L. IV. 16.) de juvene narrat, qui sub somnambulismo gladium sibi aptavit, foras exivit, urbem peragravit, in magistratum civitatis magno satellitum numero stipatum irruit, punctim coesimque feriit, donec ab uno satellitum ipse vulneratus expergiscere coeperit.

(82) Fab. Hildanus l. c. obs. 84. p. 161. Gr. Horstii T. III. p. 112. 114.

(83) Bohn l. c. §. 31.

(84) Jac. Horst p. 232. Tandler. Sennert l. c.

(85) Sylvius l. c.

(86) Sennertus l. c.

(87) Horstius l. c.

Cura.

2. Cura bifaria, altera *paroxysmi*, altera *temporis liberi*. *Haec* pro varia rerum conditione ex praeceptis generalibus (88) facile eruenda consistit in *venaesectione* (89), in *pulveribus temperantibus*, aliisque compositionibus *nitratem potassae*, et *magnesiam* continentibus, in *emeticis* e. c. *tartrate stibii*, et *potassae* (90), in *purgantibus*, inter quae *rheum*, et *aloës* communia suffragia collegerunt, in *decoctis*, ut dicunt, *purificantibus* (91), in *tonicis*, praecipue *marte* (92), in *nervinis* sic dictis *cephalicis*, ut *aethere sulphurico alcoholisato*, *succinate ammoniae empyreumatico* (93), *radice paeoniae*, *herba betonicae*

(88) Cap. I. §. VI.

(89) Regius prax. cas. 10. p. 97. et obs. mea N. I.

(90) Meretur praecipue tentari, utpote in aliis cerebri morbis tam utilis. Cfr. Diss. Schloezer l. c. p. 92.

(91) R. Radicis asparagi, chinae nodosae, bardanae aa unciam semis, seminum foeniculi drachmas duas. S. pro nodulo in sero lactis coquendo.

(92) Bohn §. 32. Somnambuli curam medicamentis martialibus, essentia castorei volatili, et sale volatili oleoso succini peractam lege in miscell. nat. cur. Dec. II. obs. 189. p. 380.

(93) Fr. Hoffmann (l. c.) testatur, praeceptorem suum Petermannum somnambulum omnibus fere septimanis noctur-

(94), *castoreo, ambra, camphora*, in narcoticis, ut *opio* (95), in *helleboro nigro* (96), in *electricitate* (97), in *balneis* (98), in *pediluviis* cum floribus *tiliae, papaveris erratici, malvae, rosarum, sambuci* (99), in vesicatorio (100), et in lavatione, ac unctione capitis ope infusionis herbarum cephalicarum, et balsamorum (1). *Regimen diaeteticum* consistit in aëre puro, fuga radiorum lunae, animi quiete, adsuefaciendo phantasiam, ne uni actioni diu-

nam aliquam excursionem celebrantem, per usum liquoris cornu cervi succinati cum essentia opii Langelotti, et essentia castorei (tartarisata praeprimis) combinati ita restituisse, ut postmodum ab hoc malo liber fuerit.

(94) Ex Antonio Musa, et Tiraquello commendat Majolus l. c.

(95) Darwin magnam opii dosin ante somnum commendat (l. c.).

(96) Consilio Fr. Hoffmann (l. c. p. 236.). R. Fibrarum hellebori nigri unciam unam, limaturae martis drachmas tres, tartari tartarisati unciam semis, cubebarum, cardamomi, schoenanthi aa drachmas duas: infunde mensuram unam vini Rhenani, de quo bibat aeger omni die ad minimum uncias sex.

(97) Pogani l. c.

(98) Zacutus Lusitanus l. c. p. 188.

(99) Fr. Hoffmann l. c.

(100) Bohn l. c.

(1) Treisner l. c.

tius inhaereat (2), venere, si liceat, et exercitio corporis moderatis, quandoque ad defatigationem usque (*), coena parca, in qua parum bibendum, usu cerevisiae tenuis, abstinentia a castaneis, fabis, lentibus etc. Positio in tergum vitanda est, et capite elevato decumbendum. Praeterea aeger in cubiculo fenestris clatheratis instructo custodiri, vel fasciae ope lecto alligari (3) debet. *Lamina plumbea*, quo scopo nescimus, ad lumbos commendatur (4). Accedit consilium, quo vas aqua frigida repletum ante lectum ponitur, ut aeger exiens pedibus illi immersis de errore admoneatur: ast apoplexiam exinde observavit Jac. Horst (5). Afflatus aëris (6), et titillatio labiorum ope plumae (7) nisum somno vagandi reprimere fertur. In pueris juvat aliquando blanda increpatio (8), vel etiam lenis fustiga-

(2) Sylvius l. c. §. 39. p. 477.

(*) Usus *sphaeromachiae*, noctambulis suadetur a Nentero (Fund. med. P. II. p. 807.) ut exercitium vehemens, et laboriosum.

(3) Bohn l. c. §. 32.

(4) Caballis l. c.

(5) L. c.

(6) Davidson *uber den Schlaf.* p. 201. 209.

(7) *Encyclopéd. méthod. art. Somnambulisme.*

(8) J. Horst p. 251. Blancard p. 213. Craanen l. c. Tandler p. 251.

tio (9), de quo auxilio certe rejiciendo multum GRAG. HORST. (10), et FELIX PLATER (11) disseruerunt. Acclamatio, et violenta excitatio aliquando periculosa est, et nunquam suadenda. Quid hic a magnetismo animali expectandum sit, experientia docebit.

CAPUT XII.

DE SOMNIATIONE.

§. LI.

DEFINITIO. LITERATURA. DIVISIO.

Definitio.

1. Morbus vigilantes saepe periodice adoriens, somni fere imaginem exhibens, aegro simul gesticulatore, ambulatore, scriptore, loquaci, poëta, cantatore, saltatore, quasi vaticinatore reddito, sine ulla post paroxysmum

(9) SENNERT l. c. FR. HOFFMANN l. c. §. 24.
(10) In problem. med. Dec. II. Qu. 6. p. 44.
(11) Praxis p. 152.

rerum peractarum memoria, nobis est *somniatio* (12).

Literatura.

2. Exempla morbi, de quo agimus, sub nominibus vel somnambulismi, vel catalepseos, vel magnetismi animalis spontanei inveniuntur (ne ad STRABONEM (13), ARISTIDEM (14), et ARISTOPHANEM (15) ascendamus, qui de hominibus in templis incubantibns, quidquid in contrarium sentiant KINDERLING (16), WOLF (17), NASSE (18), BOUYS (19), KLUGE (20), alii,

(12) Somnambulismus catalepticus SAUVAGESII l. c. Species morbi a DARWINIO *reverie*, sive *studium inane* dicti, l. citando, sub *rhembasmo* SWEDIAURI l. c. comprehensa.

(13) Geogr. L. XIV. p. 649.

(14) Serm. sacr. IV. op. T. I.

(15) PLUTO Act. III. Sc. 2. v. 31. 32. 41. 94.

(16) *Der Somnambulismus unster Zeit mit d. Incubation od. d. Tempelschlaf u. d. Weissagungstraumen der Alten in Vergleichung gebracht. Dresd. u. Leipz.* 1787.

(17) In *Berliner Monatsschr.* 1784. 2. B. p. 235. 237. 238.

(18) L. c. in REIL's *und* HOFFBAUERS *Beytragen zur Beforderung einer Curmethode auf psychischen Wege.* p. 251.

(19) *Nouv. considérations puisées dans la clairvoyance instinctive de l'homme sur les oracles, les sibilles, et les prophètes, et particulièrement sur Nostradamus.* Paris 1806.

(20) Op. c.

fabulas enarrarunt (21)), apud SAUVAGES DE LA CROIX (22), HAEN (23), ELLERT (24), DARWIN (25), TOMMAS (24), DESSESART (26), STROMBERG (28), SWEDIAUR (29), A. G. RICHTER (30), alios (31), nostra ipsorum, et viri

(21) Antonii VAN DALE Poliatri Harlemensis, de oraculis veterum ethnicorum dissertationes duae, edit. secunda. Amstelod. 1700. FONTANELLE *Oeuvres T. II. sur les oracles.* STIEGLITZ op. c. p. 652.

(22) In act. acad. Upsal. a. 1741. p. 41. et *Mémoire de l'Ac. R. de Paris* 1742. Ed. in 4. p. 409. Ed. in 8. p. 557.

(23) Rat. med. P. IV. C. V. §. 3. p. 185.

(24) WIENHOLT l. c. p. 52.

(25) Zoonomia Vol. I. Sect. XIX. *Of Reverie. 2. case of a young Lady.*

(26) *Giornale di medicina practica del professore Brera.* Vol. 4.

(27) *Journal général de médecine.* T. XL. 1811.

(28) *Geschiete chines, allein durch die Natur hervorgebracht. animal. Magnetismus. Mit Vorrede v.* MARCARD. *Braunschw.*

(29) Novum nosologiae methodicae systema. Vol. I. p. 475.

(30) *Neue medicinisch-chirurg. Bemerkungen.* 1814. p. 123.

(31) Acta Vratislav. 1725. Decemb. Class. IV. Art. 7. *Hannovr. Magaz.* 1787. 64. St. *London med. and phys. Journ. Sept.* 1808. *A case of very singular nervous affection, supposed to have been occasioned by the bite of a tarantula. By* Dr. J. COMSTOCK *of South-Kingston, America.* Vid. STIEGLITZ Op. c. p. 255. LARREY in *Journ. de méd. chir. et pharm.* 1816. *Mars. Obs. sur certaines plaies d'armes à feu, accompagnées de circonstances particulières.*

nobis amici (32), experientia suffragante. Quibus singulis observationes de *somnambulis*, ut dicunt, *magneticis*, addi possunt, ad quas tamen, ut decet, a reliquis separandas somniationem in *spontaneam*, et *artificialem* dividimus.

§. LII.

SYMPTOMATA.

Somniationis spontaneae.

1. *Somniatio spontanea* sub vigilia vel derepente, vel praeviis nonnullis prodromis, tristitia, saltem suspirio, capitis dolore, lipothymia, motibus convulsivis variis, inprimis e genere catalepseos, aut choreae S. Viti ingruit. Jamvero aegrotans hominis somno correpti imaginem plus minusve refert. Oculos enim habet, nisi semper clausos, certe insensiles. Pulsus saepe sanus, aut sano et lentior est, corporisque calor normalis. Respiratio vix perceptibilis. Praeterea, hac sub rerum positione aegri vel ciliis nictitant (33), vel gestibus scenam

(32) Dr. Friedlaender, medici egregii Volhyniae.

(33) Sauvages l. c. 17. Sub nomine *cari nystagmi* casum

ludunt, ac factum aliquod repraesentant (34).

aegrae describit, quae tranquille sedens, per horae quadrantem eclipsin omnium sensuum patiebatur, pulsu, calore, et colore, totiusque corporis flexilitate integris. Sub hoc paroxysmo cilia (non palpebrae), velocissime movebantur.

(34) Aegra, de qua in *Nouv. mémoires de l'Ac. R. des sciences, et belles lettres de Berlin* 1774 p. 10, nec non in *Commentar. de rebus in scient. natur., et in med. gestis, tert. Decad. Suppl. II.* p. 204, legitur, a vigesimo quarto aetatis anno usque ad quadragesimum quintum per intervalla somno sepulta jacebat, eoque tam vehementi, ut membra subito rigida fierent. Duos tales paroxysmos quotidie experiebatur, alterum matutinum, pomeridianum alterum. Maxilla inferior *ac si cibos manderet*, clausis labiis convulsive agitatis, movebatur. Majoris vero momenti casus est sequens. Die 13 septembris an. 1813 nobilis virgo quindecim annorum urbem ex rure advecta, rite menstruata, habitum quidem gracilem, at sanum illum, et formosum exhibens, oculis coeruleis, crinibusque fulvis instructa, curae meae tradita est. Haec anno 1812 a militibus gallicanis, qui patri illius mortem minitantes, concessis petitis, enumeratisque conditionibus, a nefando demum proposito destitere, vehementer perterrefacta fuit. Postridie eadem ipsa hora morbo correpta est, cujus singuli paroxysmi quotidie sub solis occasum ad praesens usque tempus, paucis concessis intervallis, sequenti ratione, ut ipse vidi, redibant. Indicata enim die aegram hora quinta pomeridiana invisens, sedentem eam jam tristem et taciturnam inveni. Interrogationes meae monosyllaba obtinebant responsa. Elapsis nonnullis horae momentis, ea sus-

Discusso accessu, veluti e somno ad se redeunt, aut, somnambulorum instar, sed diurno tempore, deambulant (35), immo itinera fa-

pirium sonorum quasi ejulans, quo facto aegra, veluti somno correpta concidit. Itaque supra lectum turcicum, vulgo *sopha*, deportata, et conciliata corporis positione erecta, oculis clausis somno tranquillo frui videbatur. Paullum vero post, praeviis risus vestigiis, vultus quasi hominis numine afflati cernebatur. Tunc brachium dextrum sursum, sinistrum deorsum extendebat, atque hanc positionem plane catalepticam per sexagesimam horae partem retinuit. Huc perducta inopinate, et velociter pugnum dextrum sinistro allidebat, quasi praevia haesitatione quadam propositum aliquod firmiter exsequi vellet. Ac revera signum sic dabat *exercitio militari* scenam terroris quondam perpessi accurate designaturo. Manu enim dextra chartaceum farturae modulum e theca bombardaria prope dorsum magna cum vi, et proprias fere dilacerando vestes arripere, ac ori ad demordendum admovere videbatur. Quo facto eadem manu pulverem pyrium super pugnum sinistrum veluti foco sclopetario inspergere simulabat. Succedebant actus quasi sclopetum virgae stipatoriae ope pulvere tormentario, et glande plumbea farciendi, tum feriendi. Interea aegra, etsi ceteroquin sermonis gallicani imperita, per intervalla secum murmurabat: *marche! Où est le baron* (sic milites Galli possessores praediorum Lithuanos appellare solebant), *sacré nom de Dieu*! Absoluto feriendi actu, digitis conditiones quasdam computare videbatur. Sic eodem prorsus ordine eadem circiter scena ter repetebatur, donec post quartae horae partis spatium, pugnis iterum invicem percussis, comparente sudore frigido uni-

ciunt (36), aut scribunt (37), aut sermocinan-

versi corporis, retrorsum lipothymia affecta concidit. Illico autem sponte evigilans, apertisque oculis quasi quidquam amissum quaerens, strophiolum suum enixe exposcebat, eoque sudorem abstergebat. Rebus huc perductis plane sui conscia, alacris et serena fiebat non solum peractarum, sed etiam adventus mei immemor. Recessi cum proposito aegram postridie iterum visendi, et variis experimentis subjiciendi, relicta, ut mos fert, formula pulveris anti spasmodici rubri Stahlii, et aquae melissae usum praescribente. At vero aegra postridie, praeter debilitatem hora prius paroxysmo dicata ingruentem, nil accusabat, ac continuato ejusdem pharmaci usu omnino convaluit. Vere anni 1814 solum febrem catarrhalem fortuitis symptomatibus spasmodicis stipatam perpessa est. Simulationis suspicio nulla erat. Similis historia morbi in *Journal de méd. chir. pharm.* T. XVII. 1762. p. 432. invenitur: *sur une abstinence de 33 jours avec des circonstances singulières, par* M. Alliet. Virgo a milite in horto terrefacta circa mediam noctem paroxysmum experiebatur, sub quo deleta audiendi, et videndi facultate, oculis semiclausis, quasi terrefacta, et furibunda ejulabat, ac varias actiones terroris caussam respicientes perficiebat.

(36) Swieten (Comment. Vol III. §. 1086), casum Sauvagesii de la Croix ita refert: « Viginti annorum virgo catalepsi vera, et antiquissima per aliquot menses laboraverat, deinde in *aliam faciem* mutabatur morbus fere quotidie recrudescens. Sic autem incipiebat paroxysmus: corripiebatur primum catalepsi, post quinque vel sex temporis minuta oscitabat, erigebat corpus, dein loquebatur magna cum vivacitate, et feliciori ingenio, quam solebat extra paroxys-

tur (38), idque peregrinis interdum linguis

mum: videbatur alloqui plures qui lectulum circumdabant, mores adstantium fictis sub nominibus perstringebat acriter, gestibus, et motu oculorum comitabatur hos sermones, et tamen omni sensu carebat. Deinde incipiebat cantare, ridere; exsiliebat de lecto, ambulabat per conclave nosocomii, omnia obstacula evitabat, ad lectum suum redibat, stragulis corpus tegebat, et paulo post denuo catalepsi corripiebatur: elapso quadrante horae evigilabat quasi de profundo somno penitus immemor omnium, quae paroxysmi tempore contigerant ».

(36) Funarius viginti trium annorum, de quo acta Vratislav. narrant, plerumque interdiu in somni speciem, oculis plane clausis, incidebat, sub quo nunc res parum antea gestas repetebat, nunc in occupationibus inceptis pergebat. Dum a somno sub deambulatione corripiebatur, gressus eadem ratione, immo celerius etiam perficiebat impedimenta omnis generis evitando. Sic pluries in ipso paroxysmo Vinaria Naumburgum iter per pedes fecit. Alias equitando flumen *Ilme* tranavit, equum potionabat, crura, ne aquam attingerent, retrahebat etc. Terminato paroxysmo, rerum eo vigente peractarum immemor erat.

(37) Aeger Richteri sub somniatione, morbi nervosi symptomate litteras sermone graeco, latino, et anglico, correctius, quam alias potuerat, scripsit (l. c.). Delineabat, et problemata mathematica solvebat aegra Dessesarti (l. c.).

(38) Juvenis, de quo cl. Friedlaender me certiorem reddidit, vigesimum primum annum agens, temperamento cholerico-sanguineo praeditus, puellae cujusdam immodico, eoque minime mutuo amore captus fuit. Itaque infelix in chartarum lusu solatium quaesivit, ac omnia, quae possidebat

(39), aut carmina recitant (40), aut cantant

sic amisit. Adversus tot, tantasque aerumnas quum auxilium apud avunculum opulentum quaerere in animum induxisset, nuncium de illius morte accepit. Ab omnibus sic derelictus, perseverante amore insano, et zelotypia, in gravem melancholiam, socio capitis dolore, incidit. Accesserunt convulsiones, quas postridie, praevio formicationis in facie sensu, et stupore, singularis adfectus excipiebat. Aeger nempe impos sui, atque immobilis, oculis apertis, defixis, vultu accenso, severo, et indignationem exprimente decumbebat. Tota corporis superficies viscido sudore cooperiebatur. Pulsus a naturali haud recedebat. Respiratio vix perceptibilis. Qua sub rerum positione risus blandus oriebatur, post quem voce prius humili, dein alta colloquium cum amasia sua inire videbatur. Manum illius exposcebat, eam comprimere, et osculari prae se ferebat, uti ex brachiorum aegri, labiorumque motu clare apparebat. Multa ex ea quaerere conabatur, scilicet, cur tam crudelis sit, cur alium sibi anteponat etc. Interea lacrymae genas inundabant. Paroxysmus sic per horas 4, 6, 8 durabat, ac plerumque motibus convulsivis terminabatur. Tum aeger totius scenae ignarus nil, nisi debilitatem, capitisque, oculorum, et articulorum dolores querebatur. Hinc inde morbus una accessione de die, praesertim mane post somnum ingruente, contentus erat: alias nychthemeri spatio bini, et amplius paroxysmi miserum exercebant, attamen non semper sermocinatione stipati. Quibus vigentibus sensus omnes plane feriati erant, excepto tactu morbose aucto, ac ne stragulorum quidem attactum perferente. Hoc enim tanquam ictu electrico concutiebatur. Attactus partis denudatae corporis tetani varias formas excitabat illico eva-

(41), aut saltant (42), aut vaticinia (43) proferunt,

nescentes. Continuato morbo per plures menses musica inprimis sanatus est: quae sola aegrum sub paroxysmo excitare valuit interrogantem, cur campanae tam vehementer pulsent? Ad firmandam plane valetudinem bona fratris aegri officia accesserunt. Cfr. LARREY l. c.

(39) LEMNIUS de occul. natur. mirab. Lib. II. cap. 2. ALBERTI disp. de mensium anomaliis convulsivis.

(40) DARWINII elegantissima virgo septemdecim annorum, absoluta solita menstruatione, morbo mirabili (wonderful) correpta est, cujus paroxysmi convulsionibus, inani vomendi nisu, et vehementi singultu ingruebant. Sequebatur post horae dimidium spasmus, sub quo manus capiti admovebat. Post simile temporis spatium spasmus iste cessabat, incidente aegra in somniationem (*reverie*), sub qua vultus attentionem exprimebat. Oculis apertis cum hominibus imaginariis colloquebatur. Ex verbis ejus responsa ficta facile intelligebantur. Aliquando vel cantabat, ac *paginas poëtarum anglicorum recitabat*. Aegra post horam sui conscia facta timorem patefaciebat, ac nonnunquam convulsionibus corripiebatur. WIELSCHMANN (Diss. an, et quatenus somnia hominibus imputentur? Lips. 1703. §. 51.) de pannifico narrat, qui tempestate autumnali singulis ferme diebus circa horam utplurimum quartam vespertinam fixativo ligatus somno conciones, sive homilias e lecto recitabat.

(41) Puella, de qua HAEN scripsit (l. c.), prius genuina catalepsi laborans, dein sub paroxysmo garrula evadebat. « In plurimis paroxysmis praesens audivi eam *Psalmos Davidicos* cantantem ... Cantus autem ille notas musicas exacte observabat ... Tum audivi recitantem catechismum,

quin rerum, in paroxysmo actarum vel min-

quem tenuerat memoriter una cum pluribus textibus ex sacris Bibliis. In vitia hominum acriter invehebatur, praeprimis autem in hominem viduum in vicinia habitantem, quod pellicem domi aleret; qui tamen ipse paroxysmum visurus advolaverat, itaque praesens praesentem audiebat has diras imprecationes in sese proferentem, quamquam ipse nullatenus puellae sub conspectum caderet.... » Sensuum officium plane feriatum erat.

(42) Comstockii aegra ab araneae ignota specie puncta, praeviis, et persistentibus quodammodo symptomatibus choreae S. Viti, vel potius tarantismi, in somniationem incidit, sub qua, oculis spasmodice clausis, colores per tactum, praesentiam patris in cubiculo quamvis obscuro cognoscebat, ac tandem in usum deducta musica *choreas ducebat.*

(43) De melancholicorum ad divinandum proclivitate jam Aristoteles testatus est (Quaest. nat. Sect. 30). Vid. et Zacchias de divinatione. Quaest. med. leg. Lib. IV. tit. 1. Qu. 5. Generatim de vaticiniis aegrorum egerunt Casparus Reyes Camp. elys. juc. Quaest. 27. Frankenau satyr. med. 9. Garmannus de mirac. mort. diss praelimin de cadav. §. 29, ubi de *ecstasi naturali* agit. Andr. Mollerus in Annal. Freibergens. Wellerus et Joh. Fincelius de puella vaticinia sub statu alicujus ecstaseos proferente, testantur. Addit Lasset (Diss. de vaticiniis aegror. Hal. 1724, praeside Alberti): « quidam aegrotantes sub praecedente *insolito somno* experiuntur internam illam revelationem, ex qua deinde aliquod praesagium proferunt »... « ita dantur *epileptici*, qui praenunciant, *quando* paroxysmus ingruet, et *quoties* quolibet die repetet, quo *gradu* insistet » (l. c. p. 25.). Cfr. dein casum Strombergii,

mam conservent memoriam. Paroxysmi nunc cum ordine, nunc inordinate recurrunt, relicta saepe debilitate.

Somniationis artificialis.

2. Per severum examen experimentale scopo potissimum physiologico-pathologico peractum, cujus eventus ex quatuor huic capiti annexis observationibus elucebit, certo comperimus, *magnetismi* sic dicti *animalis* ope, in plurimis hominibus (44), praesertim juvenibus, aut puellis rapido corporis incremento insignibus, talem statum produci, qualis requiritur, ut, praeviis, pro re nata, horripilatione (45), calore vago, sudore (46), oscitatione, nictitatione, palpebrarum quasi constrictione (47), cum ponderis sensu, risu, aut fletu convulsivo (48), aurium tinnitu, salivae frequenti deglutitione,

qui virginem nobilem respicit spasmis, lipothymiis, et catalepsi prius subjectam, dein in statum somno similem incidentem, sub quo proximae somniationis tempus *praedicebat*, et auxilia ad hoc indicabat.

(44) Inter triginta individua, quae magnetismo animali subjeci, quatuor in somniationem inciderunt, quorum historiae ad calcem hujus capitis inveniuntur.

(45) Obs. I. consessus 5.

(46) Obs. I. consessus 2.

(47) Obs. II.

(48) Obs. IV.

dentium stridore, singultu, concussione, crampo, somnique desiderio, homo dormienti similis, oculis clausis, saepe sursum retractis, pupilla immobili, possit interrogationibus ab artifice factis, voce quodammodo aliena, verbis plerumque selectis respondere, de valetudinis suae statu accuratissime rationem reddere, futuras in eo mutationes praesagire, atque remedia scopo sanitatis sive tuendae, sive amissae restituendae indicare, quin posthac excitatus, ac capitis gravedinem, temulentiam, motus febriles experturus (49), dictorum vel minimam conservet memoriam. Eventus quidem saepius verbis allata sub rerum positione edictis respondet, at certe non semper (50). Mirabilem hanc conditionem, sub qua sensibus externis sopitis, sensus internus universalis una cum instinctu, et phantasia exaltatus cernitur; quaeque vulgo *somnus magneticus* appellatur, et quidem in gradu dicto *clairvoyance*, *somniationem artificialem* vocamus.

(49) Obs. II.

(50) Obs. I. Cfr. Consessus 1, et 2 cum eventu.

§. LIII.

CAUSSAE.

Praedisponentes.

1. *Caussa* ad somniationem sive spontaneam, sive artificialem *praedisponens* in morbosa systematis nervosi sensibilitate quaeritur. Forte huc quoque conditio specifica exaltata partium genitalium, praesertim ovariorum (51), et testium (52), pertinet (53); inprimis qualis ea circa pubertatis tempus obvenit (*).

Excitantes.

2. Somniationem *spontaneam* excitant gravia animi pathemata, terror, amor infelix, zelotypia, forte ictus insectorum, et serpentum (54) quorundam, et vulnera plexum solarem

(51) Feminae vulgares, aliaeque crebro coitum celebrantes vix, aut ne vix quidem maagnetismi animalis percipiunt effectus.

(52) Spadonem sine omni effectu iteratis magnetismi animalis tentaminibus subjeci. Potuit tamen ipse somniationem magneticam in femina producere.

(53) Infantes quidem vim magnetismi animalis experiri possunt, sed, ni fallor, nunquam usque ad somniationem.

(*) Osiander Op. c. (Vide supra Cap. I. §. III. 6.

(54) Cfr. quid Dioscorides (L. VI. c 54.), Aetius (Tetrab. III. Serm. I. c. 20.) de morsu aspidis referunt.

attingentia (*): *artificialem* vero operandi methodus peculiaris. Effectus productus certe neque ab imaginatione, neque a libidine repetendus est.

Proxima.

3. *Caussam proximam* somniationis nec conjectura attingere audemus. Generatim imaginationem, et aestum venereum, quae ex caussis somniationis exclusimus, ut *effectus* scenam in ea ludere posse persuasi sumus. Multum quoque electricitatis hic subesse, quamvis contrarium contendatur (55), suspicamur (56).

§. LIV.

DIAGNOSIS.

Generatim.

1. *Somniatio* a *cataphora*, *somnambulismo*, *ecstasi*, *catalepsi*, et *delirio* distinguenda est.

A cataphora.

2. *Cataphora*, ut somnus vi, aut diuturnitate peccans, per se a *somniatione*, ut vigilantium

(*) Aeger Larreyi in loquacitatem, et speciem somniationis incidebat, quoties specillum ulcus fistulosum regionem ventriculi attingens irritabat (l. c.).

(55) Cap I. §. III. 65.

(56) Cfr. historiam ad calcem capitis XIV.

morbo differt. Cataphora porro longe diutius protrahitur, quam somniatio, ac praeter somnum nullum memorabile phaenomenon patefacit.

A somnambulismo.

Somnambulismus.	*Somniatio.*
1. Somnambulismus sub somno contingit.	1. Somniatio sub vigilia locum habet.
2. Somnus, ex quo somnambulismus proficiscitur, legitimus est, per se sanus, et naturalis.	2. Phaenomenon somniationem sub somni adspectu comitans morbosum, abnorme est, et a genuino somno plane differt.
3. Somnambulus se res gestas saltem somniasse haud raro commemorat.	3. Post somniationem rerum gestarum nulla prorsus memoria.

Continuatio.

3. Phaenomenon, quod et somniationem magneticam sub somni adspectu comitatur, morbosum et abnorme esse, atque plane a somno sano, et normali differre, ut jam Darwin (57),

(57) *It appears from hence, that* reverie... *is totally different from sleep; because the essential character of sleep consists in the total suspension of volition, which in reverie is not affected; and that the essential character of reverie consists not in the absence of those irritative motions of our senses ... but ib their never being productive of sensation.* l. c. p. 230.

et Stieglitz (58), omni jure docuerunt, ex sequenti comparatione elucet.

Somnus.	*Somniatio artificialis.*
1. Palpebras laxas exhibet.	1. Palpebras contractas prae se fert.
2. Musculos oculum moventes absolute quietos relinquit.	2. Musculos rectos superiores contractos habet.
3. Pupillam ad dilatationem disponit.	3. Pupilla contractiori instruitur.
4. Sensus externos quot quot sunt clausos habet.	4. Auditus, saltem pro artifice, apertus est.
5. Recreat plerumque.	5. Ut plurimum molestias relinquit.

§. LV.

PROGNOSIS. CURA.

Prognosis.

1. Periculum, quo somniatio stipatur, phaenomeni abnormitati haud respondet. Interea semper transitus in graviora mala generis nervosi, ut catalepsin, aut epilepsiam timendus,

(58) *Unter der Gestalt von Schlaf ist das Gehirn auf eine eigene, von dem gewohnlichen Schlafe ganz abweichende Art afficirt.* l. c. p. 138.

quod imperiti cum magnetismo animali (ut morborum auxilio a nobis nondum debitis experimentis confirmato) quasi ludentes probe retinere debeant.

Cura.

2. Darwin (59), et Swediaur (60) largam *opii* dosin ante paroxysmum somniationis spontaneae ut specificum accipiunt. Effectus *pulveris antispasmodici rubri* Stahlii, et *musicae* ex allatis historiis (61) elucent. Ceterum praecepta generalia (62) sequamur necesse est. Iis incassum tentatis *magnetismo animali* locus foret. In somniatione ex eo orta, quid praeter tractus iis, qui prius adhibiti fuerunt, oppositos adhibendum sit, ignoramus.

(59) l. c. p. 227.
(60) l. c. p. 476.
(61) §. XLVI. N. 1.
(62) Cap. I. §. VI.

APPENDIX

AD CAPUT XII

somniationis artificialis quatuor exempla continens.

Observatio I. Virgo duorum et viginti annorum, cute candida, crinibus fulvis, oculis coeruleis instructa, valde excitabilis, capitis universi dolori saepe obnoxia, hyeme anni 1814, e trahis forte ejecta, vehementem ad os parietale dextrum accepit contusionem. Venae sectione, hirudinibus, fotu frigido malum quidem sanatum fuit, relicto tamen in parte affecta doloris gravativi sensu, sub temperiei mutationibus, corporis reclinatione, animi pathemate in graves cruciatus, ab habituali quondam cephalaea plane diversos transeunte. Subjicebantur operationi, ut dicunt, magneticae (de qua certissime nunquam quid audiverat) die 8 aprilis 1814 hora octava vespertina, praesente familia aegrae, aliisque. Post sexagesimam jam horae partem somniatio obrepsit. *Interrogatio.* Dormisne? *Responsio.* Dormio vero. *I.* Num quid habes morbi? *R.* Capitis dolore exerceor. *I.* An malum hoc cito evanescet? *R.* Minime, sed mortem mihi injiciet. *I.* Quid ad levandum te facturus sim? *R.* Acetum adhibeto mihi. Quo mox apportato cum frontem humectassem, na-

ribusque vaporem admisissem, aegra in fortes horam fere dimidiam durantes convulsiones incidit. Expergefacta nihil quidquam memorabat, nisi se ad operationis initium irrisisse. Capitis dolor per unam fere hebdomadem maxima ex parte depulsus videbatur. Quo temporis spatio exacto cum multo majore vi rediisset, altera operatio die 30 aprilis 1814 perfecta erat. Praevio copioso sudore post quinque temporis minuta incessit somniatio. *I.* Quid dormis? *R.* Omnino. *I.* Num quo dolore angeris? *R.* Capitis illo. *I.* Ubinam loci? *R.* Ubi aliquando contusa fui. *I.* Quem in finem durabit isthuc mali? *R.* In annum integrum. *I.* Quid, ut te sanem, fieri expediat? *R.* Balneis frigidis me uti jubeto. *I.* Num in flumine? *R.* Omnino. *I.* Mane, an vesperi? *R.* Mane *I.* Num qua etiam indiges medicina? *R.* Maxime. *I.* Quanam illa? *R.* Nescio. *I.* At indica saltem, utrum excitantia remedia, an vero refrigerantia tibi sint magis profutura? *R.* Refrigerantia sane *I.* Num te operationi magneticae subjicere debeam? *R.* Sic, omni secunda hebdomade, sed necessario hora sexta vespertina. *I.* Quid ita? *R.* Quia hac eadem hora caput contusa sum. *I.* Quamdiu adhuc dormies? *R.* Unum temporis minutum. Hîc ego, cum expromptum horologium invitus nimis prope virginem admovissem,

nonnulli motus corporis convulsivi, brachii sinistri rigiditate stipati, oriebantur. Tum aegram palmis manuum molliuscule tractavi, quo mox mentis vires recuperavit. Nec plura moratus ita *vigilem* illam alloquor: *I.* Utrum semper eadem hac hora artificium magneticum subire vis, an aliam quandam deligemus? *R.* Ut id per tua negotia optime licebit; equidem semper sum otiosa. *I.* An saepius balneis frigidis utere? *R.* Satis raro. *I.* Multumne tibi placent? *R.* Non admodum. Aegra eodem illo vespere forti capitis dolore, atque spasmis vexabatur. Tertium experimentum die 3 maii ad horam quintam, et dimidiam vespertinam susceptum erat. Post tractationem sex temporis minuta durantem consecuta est somniatio. *I.* An somno oppressa es? *R.* Utique. *I.* Potesne palpebras reserare? *R.* Impossibile id sane. *I.* Ubinam haeret dolor? *R.* In capite. *I.* Unde putas contractum hoc mali? *R.* A lapsu. *I.* In quanam re doloris caussa consistit? *R.* Isthuc me penitus latet. *I.* Quid prosint balnea frigida? *R.* Et maxime quidem. *I.* Quandone eorum usum instituemus? *R.* Ad mensis maii exitum. *I.* Utrum in Wilia an Wilenka (fluvius parvus ad Wiliam influens) lavare se praestat? *R.* In Wilenka. *I.* Num etiam medicamentorum usus usque in maii finem rejiciendus? *R.* Minime, sed in unam

hebdomadem solum. Uberiores interrogationes convulsivis motibus impeditae fuere. Qui postquam cessaverant, aegra magnum aestum querebatur. Tum brevi incidens menstrua purgatio, atque meae diversae occupationes tertium experimentum solum die 2 junii ad sextam horam vespertinam suscipere siverunt. Postquam interrogationes prioribus similes factae erant, eaedemque responsiones obtentae, quaesivi quoque ex aegra, num semper eadem hac hora vespertina operationi submittere se velit. *R.* Omnino (at enim vigil sibi tali pacto vespertinam deambulationem impediri querebatur). Propter spasmos brevi post consecutos proximum experimentum ad aliquot dies dilatum erat. Quintus consessus hora sexta vespertina. Primae manipulationes frigoris sensum induxerunt: post sex autem temporis minuta orta est somniatio. *I.* Num nocet operationem tam diu dilatam fuisse? *R.* Haudquaquam: verum postridie ipsa eadem hora iterari debet. *I.* Quam ob rem semper hora sexta? *R.* Quia circa illam capiti offensio erat illata. *I.* Quando balneorum frigidorum usum instituemus? *R.* Post quatuordecim dies. *I.* Ergone tum tepidam, amoenamque habebimus tempestatem? *R.* Omnino. *I.* Utrum in Wilia an in Wilenka lavare se praestat? *R.* Nil interest in utravis. Brevi fortes, et ad

horam dimidiam protractae incesserunt convulsiones, quibus profligatis aegra plorans capitis dolorem querebatur. Consessus sextus die 22 junii hora sexta vespertina. Post sextam horae partem obrepsit somniatio. *I.* Somniasne? *R.* Minime. *I.* Dormisne? *R.* Sic, dormio. *I.* Quamdiu est dormitura? *R.* Horam dimidiam. *I.* An quotidie iterari conveniat operationem? *R.* Non, sed ter in hebdomade solum. *I.* Quibusnam diebus? *R.* Nil interest quoquo. *I.* Quanam hora? *R.* Sexta vespertina. *I.* An non eadem hora expatiari soles (nulla responsio)? *I.* Quando balnea frigida adhibebimus? *R.* Ad finem mensis. *I.* Ubinam loci es? *R.* Nescio. *I.* An me agnoscis? *R.* Minime. *I.* Nostine Doctorem Frank? *R.* Novi sane. *I.* Illine faves? *R.* Omnino. *I.* Qui sic? *R.* Quia me morbo liberabit. *I.* Utrum te ulterius interrogem, an quietam relinquam? *R.* Posterius malim. *I.* Num hodie spasmis vexabere? *R.* Paucis illis quidem. Post horam dimidiam aegra evigilavit, atque belle habuit. Deinceps duodecim balnea frigida adhibuit, et omnino ex cephalaea, quae lapsu inducta erat, recreata est.

Observatio II. Famulam viginti annos natam erysipelati crurum habituali obnoxiam, quae vix urbem advenerat, neque quidquam aut de magnetismo animali, aut de electricitate unquam

audiverat, die 16 maii anni 1814 operationi magnetismi animalis in societate hominum eruditorum, experimenti caussa, subjeci. Operatione vix incepta, palpebrarum constrictionem percepit. Iis jam clausis adhuc vigil ad interrogata respondebat; somniatio enim elapsa tantum hora dimidia obrepsit. *I.* Num somnus te cepit? *R.* Sic belle dormio. *I.* Quousque dormies? *R.* Multas in horas. *I.* Quando erysipelas tuum in pede erupturum est? *R.* Deo soli id notum est. *I.* Num quid ad praepediendum hoc mali possim facere. *R.* Sic, decoctum aliquod mihi praescribito. *I.* Quale? *R.* Ex herbis nonnullis, quae ad fluminum ripas crescere soleant. *I.* An hirudines profuturae sint? *R.* Et maxime quidem. *I.* Ubinam loci applicandae sint? *R.* Nimirum pedibus: isthuc quidem in promptu est. *I.* Quantum earum adhibendae sint? *R.* Decem. *I.* An utrique pedi? *R.* Omnino. *I.* Quando hoc fieri oportet? *R.* Duas post hebdomadas. *I.* Quanam hora? *R.* Post meridiem. *I.* Num sanguis diu debeat fluere? *R.* Usque dum sol occidet. *I.* Num profutura sit deambulatio? *R.* Equidem sine hac multum cursitare debeo. *I.* An choreae noceant? *R.* Minime, si moderatae sint. Tum adstantes quaedam ex famula quaerebant, quae quamquam sermone polono cultiori, quam ipse possem,

enunciata fuissent, nihilominus aegra multo malignius ad ea respondebat. *I.* Ubinam es? *R.* Nescio. *I.* Viden', qui adstent? *R.* Sic video quidem, sed minime internosco. *I.* Favesne herae tuae? *R.* Maxime faveo. *I.* Num etiam sorori tuae. *R.* Etiam. *I.* An diu adhuc dormies? *R.* Equidem libenter evigilare velim, nam herae meae ministrare debeo. Tum ego, incisum sermonis filum pertexens, quin ergo evigilas? inquam. *R.* Nequeo sane. *I.* Quid, ut exciteris, fieri expediat? *R.* Nimirum, ut me concutias. Quod cum continuo fecissem, surrexit vacillans, oculosque perfricans, multumque quid sibi acciderit demirata: dormivisse vero se, cum interrogaretur, fassa est. Facies tum erat rubra, oculi scintillantes, manus autem frigidae. Ac ita quidem consternatam se, et fatigatam sensit, ut levi etiam febricula tentata mox cubitum se conferret, ac, postquam luculento somno quievisset, altera die omnino recte valuit.

Observatio III. Quarta et vigesima aprilis die (lunae) anni 1815, cum Marchionem Vilnensem L..... leviter aegrotum visitarem, ab uxore ejus invitabar, ut degentis in illorum domo nobilis puellae G.... ancillam, eamque pectoris incommodis oppressam operationi magneticae subjicerem. Quod consilium cum probassem,

cumque ancilla, cujus ex habitu obstructiones viscerum imi ventris facile conjiceres, post sex tractationis minuta somniatione capta fuisset, haec fere ex ea quaesivi. *I.* Num sopita es? *R.* Omnino. *I.* Estne conditio haec tibi jucunda? *R.* Minime, pectoris enim oppressionem sentio. *I.* Quid mali hujus caussae esse putes? *R.* Vitium haemorrhoidale, siquidem sanguinem versus caput ascendentem percipio. *I.* An te pluries artificio magnetico tractare debeam? *R.* Omnino bis adhuc, die nempe veneris, et jovis, quarum illa hujus hebdomadis, haec vero sequentis. *I.* Ad quam horam? *R.* Ad horam decimam matutinam. *I.* Qualia remedia morbo tuo maxime sint accommodata? *R.* Cichoreum cum sero lactis decoctum! *I.* Quando cura haec institui debet? *R.* Primis mensis maii diebus. Tum ortis nonnullis motibus convulsivis ancilla evigilavit nimium conditionem suam admirata, ac praeteritorum penitus inscia. Proxima die veneris, nona videlicet aprilis aegram quidem conveni, sed jam versus meridiem. Viginti temporis minuta interfluxerant, priusquam in statum quemdam somno similem incideret; palpebris quippe clausis, quae nullomodo reserare potuit, se necdum somno captam esse, et, ut pulvinar commodius poneretur, rogabat. Quadraginta minutis praeterlapsis in somniationem incidit. *I.* Quid hodie tam

aegre somnus te complexus est? *R.* Quoniam non ad decimam horam venisti. *I.* Quandone iterum operationi magneticae subjiciere necesse sit? *R.* Proxima jovis die, sed omnino aut hora decima matutina, aut etiam quinta pomeridiana. *I.* Num serum lactis cum cichoreo decoctum proderit? *R.* Maxime sane, dummodo diligentèr sit clarificatum. *I.* An balnea etiam tepida usurpanda sint? *R.* Omnino, idque cum artemisia vulgari. *I.* Quomodò iis balneis usura es? *R.* Bis de hebdomade post singulos quatuordecim dies: cum autem e balneo exitura fuerim, cyathus vini optimi hungarici mihi roborandi gratia ministretur. *I.* Num itaque nervi tui labefactati sint? *R.* Minime, sed sanguis meus est depravatus. *I.* Numquid pectoris oppressio imminuta est? *R.* Vero. Tum Marchionis uxor interrogationem quandam interposuit, unde mox somnians evigilavit gestorum omnino inscia, convulsivis quibusdam motibus consecutis. Sequenti jovis die, 15 aprilis, ipsa hora decima ad aegram me contuli. Manipulationes vix ad quinque temporis minuta productae jam somniationem induxerunt. *I.* Num consessum priorum recordaris? *R.* Bene recordor. *I.* Quî laesa valetudo tua restituatur? *R.* Primis maii diebus serum lactis cum cichoreo adhibeam, in ejusque usu binas septimanas persistam necesse est:

tum quatuor balneis tepidis utar. *I.* Quam cito menstrua purgatio reditura sit? *R.* Pridie *I.* Num hepar tuum omnino incolume est? *R.* Immo vero pustulis (pryszcze) nonnullis occupatum. *I.* An istae discutientur? *R.* Omnino. Tum odoratus sensum explorare conatus moschum naribus admovi, sic interrogans: Qualis est iste odor? Responsi loco convulsiones sat vehementes ortae fuere: quibus, cum aegram volis manuum deorsum aliquoties tractavissem, sedatis, brevi experrecta est. Ad interrogationem, ubinam hepar situm sit, nescire se, et ad alteram illam, quando menstrua purgatio eruptura sit, bis fere diebus eam instare retulit. Reipsa altera die ipsa hora decima menstrua apparuerunt. Aegra autem sub usu remediorum indicatorum unius mensis spatio convaluit.

Observatio IV. Nobilis puella D... ruri habitans, viginti annos nata, recte semper menstruata, ab annis octo et ultra dolorem pedis sinistri, in quo tophus visebatur, ad vesperas auctum, somnumque fugantem, perferebat. Praeterea guttae roseae, et spasmodicis adfectibus obnoxia erat. Plura interna remedia, ipsumque cauterium pedi affecto sine emolumento applicata fuere. Cum itaque de magnetismo animali fama ad eam pervenisset, ultro ad me, ut illi subjiceretur, se contulit. Quam-

vis autem, malum esse syphiliticum intelligens, nihil auxilii a magnetismo animali exspectarem, ac alterius generis curam, proximo adventante vere, proponerem: tamen ab aegra vehementer rogatus, periculum hujus rei die 17 decembris anni 1815 hora sexta vespertina, praesente sorore, et adfini quodam aegrae perfeci. Ad quartam horae partem protracta operatio somniationem injecit. At cum protinus aegra a sorore sua, quae e sedili subito levaverat se, excitata fuisset, risu spasmodico ploratui mixto correpta est. Qui postquam sedatus erat, et operatio in alterum horae quadrantem continuata, ecce profunda incessit somniatio. Ad primas meas interrogationes, num dormiret? an morbo quodam teneretur? nil retulit: ad tertiam vero illam: unde suspicaris malum tuum esse collectum? respondit: Anno fere aetatis tertio ancilla nostra morbo syphilitico infecta mihi eundem hunc communicavit. *I.* An medicamenta quaedam sumpsisti? *R.* Sic, mercurio cum lacte sumpto multum levamenti percepi: brevi post medicus quidam militaris majorem etiam hujus remedii copiam exhibuit, quod mihi insigniter nocuit. *I.* Quam ob rem? *R.* Quia mercurius in me remansit. *I.* Ubinam? *R.* In pollice (excidit tum e memoria interrogatio, utrum in pollice manus, aut pe-

dis, dextri, aut sinistri lateris). *I.* Num te sanabo? *R.* Omnino. *I.* Quis sum? *R.* Frank. Soror mea me a te sanatam iri asseruit, meque in coenobio trans fluvium (*Wilenka*) posito habitare debere. Neque vero me cito posse sanari puto: nam curatio quinque ipsos menses exigit. Inprimis faciei ruborem evanescentem videbis, pustulis quibusdam ad dorsum formatis: deinde morbo oculi dextri tentabor, minime horrenti illo aut pernicioso. Ruborem faciei magna etiam ex parte ploratu contractum esse scito: cum et irritabilis sim, et multis curis angar. *I.* Quid tibi ministrem? *R.* Decocta. *I.* Quaenam? *R.* E plantis exoticis parata. *I.* Nihilne praeterea? *R.* Pilulas etiam. *I.* Quasnam illas? *R.* Nescio. *I.* Quid si cum mercurio? *R.* Avertant Superi. *I.* An balnea conducent? *R.* Sic, ter in hebdomade adhibita. *I.* Qualia? *R.* Ex artemisia vulgari decocta. *I.* Num cura ad vernum tempus remittenda sit? *R.* Minime. *I.* An adhuc artificio magnetico tracteris, necesse sit? *R.* Sic, semel adhuc. *I.* Quandone? *R.* Duos post dies. *I.* Itaque die solis? *R.* Non, lunae illa. *I.* Quanam hora? *R.* Undecima. *I.* An aliam horam indicare possis: illa enim mihi est admodum incommoda? *R.* Ergo die lunae, hora sexta matutina. *I.* Num forte eadem vespertina? *R.* Minime. *I.*

Itaque si videtur, horam undecimam retineamus. *R.* Haudquaquam, sed sextam matutinam. *I.* Quid si nolim? *R.* Tum differamus operationem ad tertiam, aut quartam diem maii. *I.* Quid tam horam matutinam urges? *R.* Quia jejuno ventriculo plura tibi enunciare possim. *I.* Num operationem in tua, aut mea habitatione suscipiam? *R.* In tua vero. *I.* Qui sic? *R.* Quia tum minorem pectoris oppressionem patiar. At nunc jam fessa sum loquendo, et pecten me incommodat (re ipsa e latere dextro, cui incumbebat, crines pectine colligati fuere); Die lunae plura tibi denunciabo. *I.* An proxima nocte placide dormies? *R.* Utique. *I.* Num aquam magneticam bibere libeat? *R.* Minime. *I.* Quam ob rem? *R.* Quia male inde habeam. *I.* Viden' omnes, qui tibi adstent? *R.* Haudquaquam. Cum aegrae quietem dedissem, post aliquot temporis minuta evigilavit risu spasmodico exagitata, oculos confricans, omnes cum admiratione circumspiciens, atque, quid rei evenisset? exclamans. Tum lecto eam commendantes, pectinem illum e dextro capitis latere deteximus. Die 18 decembris aegram invisi, quae belle dormivisse se retulit, et cordis quamdam palpitationem solum incusabat. *I.* Recordarisne nostri consessus hesterni, et quid tum sentires? *R.* Recordor usque ad id tem-

poris, cum soror mea tumultuarie consurgens me excitavit. Principio aestum totius corporis percepi cum sensu rei cujusdam me opprimentis, ac leviter super corpus ponderantis. *I.* Undenam malum tuum contractum sit? *R.* Prorsus nescio. *I.* Num ab ancilla infecta fueris? *R.* Isthuc affirmare nequeo. *I.* Etiamne nunquam id dictum audisti? *R.* Nunquam, ita me Deus amet: mater solum retulit mihi, me inde a teneris valetudinariam fuisse. *I.* Exhibitumne fuit aliquod medicamentum cum lacte? *R.* Minime recordor. *I.* Nescis itaque te malo syphilitico fuisse infectam? *R.* Prorsus ignoro. *I.* Nunquamne mercurium sumpsisti? *R.* Qui noscerem medicamenta, quae mihi praebebantur? *I.* Age, subjiciam te magnetismo die lunae, idque multo mane. Hoc etiam mihi relatum erat: sed, si molestum est, aliam deligas horam. Tum admonita aegra, praedictis sub somniatione parendum esse, eandem illam horam retinuimus. Die igitur 20 decembris, hora sexta matutina aegra cum adfinibus suis, praesente etiam Doctore HERBERSKI, me convenit. Expectavimus Dr. NISZKOWSKI (nam etiam adventurum se promisit), usque ad horam sextam cum 25 minutis: cum autem non compareret, operationem institui. Advenit ille paulo tardius, quin id aegrae, quae necdum somniatione capta

erat, molestum videretur. Decem minuta post somniatio consecuta est, praevio risu, fletuque spasmodico: facies aegrae tristitiam prodibat. *I.* Dormisne? Nulla responsio. *I.* Recordarisne superioris consessus? *R.* Omnino. *I.* Ubinam loci insidet malum tuum? *R.* In pede. *I.* Num quae medicamenta adhibuisti? *R.* Sic, lacte sum usa. *I.* Minime mercurio? *R.* Etiam. *I.* Num te adhuc magnetismo animali subjicere debeam? *R.* Sic, ad finem curationis. *I.* Quandone id? *R.* Post quatuor, aut quinque menses. *I.* Quid nuper facturus sim? *R.* Balneis pedum cum camphora me uti jubeto. *I.* Num hora praesens accommodata est operationi magneticae? *R.* Minime. *I.* Atqui hanc ipsa delegisti? *R.* Atqui cunctatus es aliquantum? *I.* Diune dormies? *R.* Nequaquam. Tum apparente risu fletuque spasmodico evigilavit. Interrogata vicissim a D. Niszkowski, Herberski, et me, se nihil praeteritorum recordari, asseverabat, nisi quenquam adstantium cum anhelitu spirasse (Professor quippe Niszkowski festinanter advenit), atque aërem ab ipso exspiratum sibi pectoris oppressionem induxisse, etsi quatuor amplius pedes ab illa remotus esset. Ac omnino quidem praesentem magnetisationem minus jucundam sibi fuisse, quam anteriorem, fatebatur. Interrogata, num camphoram nosset, se illa in odontalgia

aliquando usam esse perhibuit. Proposui alterum consessum hora sexta vespertina proximae diei apud aegram ipsam. Memorandum quoque est, aegram postridie superioris consessus hora sexta vespertina sponte obdormivisse, qnod nunquam antea contigerat. Die 21 aprilis mane, dum aegram conveneram hesterna die multis spasmodicis passionibus, pectoris oppressione, cephalalgia, et cordis palpitatione vexatam se fuisse querebatur. Cum itaque diem hanc operationi haud accommodatam esse cernerem, eam in proximam diem, idque sexta hora vespertina apud me ipsum distuli, quod aegra probans, ut etiam interrogationes quaedam a sanitate alienae fierent, rogavit, quodque promisi. Die 22 aprilis hora quinta et dimidia vespertina, aegra ad me omnino hilaris advenit adfini suo, et quadam matrona familiari comitata. Post tractationem per quartam horae partem durantem, nullis praecurrentibus symptomatibus spasmodicis, somniatio obrepsit. *I.* Num dormis? Nulla responsio. *I.* An confert, te hodie magnetismo esse subjectam? *R.* Omnino. *I.* Cur anteriore consessu multum turbata esse videbare? *R.* Quia horam stricte non servasti. *I.* Num praeterea molestum quid tibi erat? *R.* Sic, anhelitus hominis illius mihi pectoris oppressionem effecit. *I.* Quid ad tollendam illam facturus sim? *R.*

Syrupum coloris rosei mihi praescribito. *I.* An oculi dextri morbum quem habebis? *R.* Omnino, dum faciei rubor evanescet, nisi mihi venae sectionem ordines. Nam etsi inde quidquam debilitabor, cito id praeteribit: tùm relinques me unum mensem sine medicina, et recte posthac valebo. *I.* Num cura continuo instituenda est? *R.* Omnino. *I.* Quid tibi praescribere debeam? *R.* Omnia, quae quidem de me cogitasti, admodum idonea, et accommodata sunt. *I.* Nostine, me de curatione tua cogitare? *R.* Sic sane aliquoties cogitasti (Consanguineus aegrae tum retulit, eam simul de mutando pedum balneo quidquam susurrasse, quod ego non audivi). *I.* An possis altiori voce loqui? *R.* Possum sane. *I.* Sumpsistine aliquando mercurium? *R.* Vero. *I.* Illiusne quid in corpore remansit? *R.* Utique. *I.* Ubinam? *R.* (cum indignatione) Jam dixi, in crure dextro. *I.* Illumne vides? *R.* Video sane. *I.* Sub quanam forma? *R.* Sub pulveris albi illa. *I.* Ergone tibi trium mensium spatio remedia ministrare debeo, dein unum per mensem quietam relinquere? *R.* Omnino. *I.* Num te adhuc magnetismo subjici expediat? *R.* Sic, semel adhuc ad finem curationis. *I.* Quando igitur? *R.* mense maii (tum promissi mei hesterni recordatus sum). *I.* An proficiscar Viennam? *R.* Habebis impedimenta. *I.* Quot

personae hic sumus? *R.* Tres. *I.* Viden' nos? *R.* Video. *I.* (hic sumpto strophiolo) Quid manibus teneam? *R.* (cum indignatione) Nescio. Tunc aliquot motus convulsivi somniationi finem posuerunt. Aegra sat hilaris, et serena respondebat ad factas sibi interrogationes: se nec unquam sumpsisse, neque vidisse etiam syrupum coloris rosei, nunquam de meo proposito Viennam proficiscendi audivisse, neque unquam alium mercurium vidisse se, nisi fracti barometri illum. Curam aegrae venaesectione, leni eccoprotico, balneis, et decocto lignorum institui. Brevi rus profecta, cum pedis dolore cruciaretur, medicum quendam adhibuit, qui eam mercurio tractavit, usque dum salivatio comparuit; qua territa aegra Vilnam advenit. Remedia evacuantia, et emollientia salivationem cito stiterunt. Tum resumpto usu decocti lignorum, et balneorum, exhibitisque dein magnis guajaci dosibus, aegra convaluit, solumque inter rapidas temperiei mutationes dolorem pedis persentiscere solet. Gutta quoque rosea multum imminuta est.

Caput XIII.

DE ECSTASI.

§. LVI.

DEFINITIO. LITERATURA.

Definitio.

1. Contemplatio profunda, aegro sese e loco haud movente, sensibus externis citra somni imaginem feriantibus, cum gestu, sermone cantuque veluti visiones divinas consortium angelorum, aut daemonum indicante, *ecstasin* (64) constituit.

Literatura.

2. De ecstasi, non semper sine confusione somniationis, et catalepseos egerunt Cobold (65), Gerdesius (66), Panecius (67), Wedel

(64) Ab ἐξίστημι, privatio sensuum Hippocr. *Gall.* Extase. *Germ.* Begeisterung. *Polon.* Zachwycenie.

(65) Narrationes aliquot epistolicae de puero ecstatico Altenburgensi. App. ad Lentuli hist. de inedia Schreierae. Bern. 1604.

(66) Diss. idea errans in ecstasi, seu enthusiasmo. Gryphiae 1692.

(67) Diss. de ecstasi. Witeb. 1695.

(68), Eber (69), Zornius (70), Handtwig (71), Behrends (72), aliique (73).

§. LVII.

SYMPTOMATA. CAUSSAE.

Symptomata.

1. Aeger ineunte paroxysmo derepente contemplabundus, phantasia absorptus, physionomia, corporisque positu imaginem animum suum possidentem exprimens, oculis apertis, fixis, auditu consueto (74), tactu orbatus jacet, sedet, stat, emphaticas voces (75) profert, cum angelis

(68) Pr. de ecstasi putata Christi. Jenae 1704.

(69) De puella ecstatica. v. Haller bibl. med. P. II. p. 131.

(70) Diss. de philtris enthusiasticis Anglico-Batavis. Witeb. 1745.

(71) Diss. de ecstasi. Rostock. 1755.

(72) *Briefe uber die wahre Beschaffenheit des neu-inspirirten Teuerbacher Madchens.* Frf. 1768.

(73) Act. nat. cur. Vol. I. obs. 250. obs. 105. VII. obs. 40. Ephem. nat. cur. Dec. I. An. IV. V. obs. 81. Dec. II. An. I. obs. 76. Dec. III. An. I. obs. 17. Cent. IX. obs. 23.

(74) Cfr. Appendix ad cap. XIV.

(75) Puella, de qua Sauvages narrat (Vol. III. p. 422.), sedebat nulli interrogationi aut signo aut verbo ullo respondens, parum cibi sumens, brachiis in crucis formam compositis, prolatis his verbis vernacula lingua: *Joannes Joannes, paradisum peto!*

sermocinari videtur (76), idiomate extraneo loquitur (77), cantat (78); quae singula nunc periodice redeunt, nunc per longum temporis spatium protrahuntur, ac pro re nata convulsionibus, catalepsi, somno terminari solent.

Caussae.

2. Caussae ecstaseos in iis catalepseos inveniuntur (79). Ad illas tamen praecipue meditatio protracta circa unum, idemque objectum, inprimis suam cujusque labefactatam salutem spectare videtur. Nec effectus *gaz oxydi ni-*

(76) Puella, de qua alibi locutus sum (P. I. Vol. II. Cap. XXIX. §. CX. 3.), praevio ejulatu, uti ex adspectu improviso objecti desiderati, physionomiam alias vulgarem in angelicam prorsus commutabat, oculis apertis, fixis, ad coelum conversis, quem in locum et brachia sedens in lecto extendebat ajens: *O Sancte Aloysi! venustissime juvenum, accede, et accipe me.* Porro voce argentea psalmos cantavit. Aphonia paroxysmum praecedere, et sequi solebat.

(77) Borelli Cent. II. obs. 54. Cfr. Kruger's *Versuch einer Experimental-Seelenlehre.* Halle 1756. in *Anhange.* p. 11. Narratur de femina Aquitaniae, quae in paroxysmo ecstaseos lingua hispanica, quam alias ignorare se credebat, locuta est. Procul dubio varia hujus idiomatis verba quondam per accidens, ac inscie quasi impressa fuere.

(78) Cfr. Append. ad caput XIV.

(79) Cap. XIV. §. LV.

trosi, ut specificae ecstasis caussae (80), hîc silentio praetereundi sunt.

(80) Humphry Davy *Researches chem. and philosoph. chiefly concern. nitrous oxyde or dephlogisticated nitrous air, and its respiration.* Lond. 1800. De inspiratione hujus gaz rationem reddens, ait vir egregius p. 488 : « *By degrees as the pleasurable sensations increased, I lost all connection with external things; trains of vivid visible images rapidly passed trough my mind and were connected with words in such a manner, as to produce perceptions perfectly novel. I existed in a world of newly modified ideas. I theorised : I imagined, that I mad discoveries. When I was awakened from this semi-delirious trance by Dr.* Kinglake, *who took the bag from my mouth, indignation and pride were the first feelings produced by the sight of the persons about me. My emotions were enthusiastic and sublime: and for a minute I walked round the room perfectly regardless of what was said to me. As I recovered my former state of mind, I felt an inclination to communicate the discoveries I made during the experiment. I endeavoured to recall the ideas, the were feeble and indistinct: one collection of terms, however, presented itself; and with the most intense belief and prophetic manner, I exclamed to Dr.* Kikglake: *Nothing exists but thoughts! the universe is composed of impressions, ideas, pleasures and pains!* »

§. LVIII.

DIAGNOSIS. PROGNOSIS. CURA.

Diagnosis.

1. *Ecstasis* a *somniatione*, quacum magnam ceterum alit affinitatem, in eo differt quod in ista aeger saepissime somni imaginem prae se fert, somnambuli instar se gerit, e loco movetur, ad vaticinium inclinat, ac non semper omni destituitur sensuum officio. Differentia ecstasin inter, et catalepsin infra tradetur. Ad ecstasin conditionem quoque poëtarum italicorum, qui extemplo versus faciunt (*improvvisatori*), accedere existimamus. WEPFERUS hominis etiam meminit, qui dum mathesi vel poësi incumbebat, in ectaseos speciem incidere erat solitus (81).

Prognosis.

2. Ecstasis potius ob morbos, quibuscum societatem inire solet, timenda videtur. Seculis barbaris ad rogum aliquando viam sternebat (82).

(81) De morb. capit. Obs. 66. p. 208.

(82) Legi hic meretur SAUVAGES nosolog. method. Lib. IV. p. 397. Cfr. Capita de *daemonia vera* in auct. de medicina forensi, inter quos PLENKII elementa a. 1781 edita p. 126 citare juvabit.

Cura.

3. Cura ab ea catalepseos mox tradenda non differt.

Caput XIV.

DE CATALEPSI.

§. LIX.

DEFINITIO. LITERATURA.

Definitio.

1. Feriatio subita sensuum, motuumque voluntariorum, aegro in eadem positione, in qua sub morbi ingressu versabatur, consistente et ad omnes inflexiones recipiendas servandasque paratissimo, pulsu et respiratione perstantibus, genuinam constituit *catalepsin* (83).

(83) *Synon.* Catoche, Catochus GALENI. Morbus attonitus CELSI. Prehensio, Congelatio, Aphonia DIOCLIS, Anaudia ANTIGENIS, CLEOPHANTINI. Congelatio Arabum. *Germ.* Starrsucht. *Gall.* Catalepsie. *Angl.* Catalepsy. *Polon.* Katalepzya.

Literatura.

2. Morbum istum rarissimum (84) plurimi quidem describere satagerunt: ast, uti docte demonstrarunt HERCULES SAXONIA (85), VOGEL (86), LUDWIG (87), et TISSOT (88), pauci revera descripserunt. Dubium est, utrum HIPPOCRATES (89) de legitima catalepsi locutus sit. Casus GALENI (90) minoris morbi gradum exhibet. Contra genuinae catalepseos exempla occur-

(84) Catalepseos mihi quater conspectae (semel in nosocomio Mediolanensi a. 1791, bis in Clinico Viennensi, in puero scilicet a. 1799, et in juris studioso postea, ac Vilnae 1816) exempla tam rara sunt, ut fatente TISSOTO (l. citando) inter mille medicos vix unus obveniat, qui morbum hunc observaverit; ac ipse in tot annorum praxi non vidit. Cum a. 1802, et 1803 magnam Europae partem peragrassem, inter millenos tamen aegros, quos in magnis nosocomiis Germaniae, Galliae, Britanniae inviseram, nullum catalepticum inveni.

(85) Praelectiones practicae. Pulchre FERNELII observationes criterio submittit.

(86) In notis ad §. 572. de morb. cognosc. et curand. cap. de catalepsi. p. 473.

(87) Institut. med. clinicae. Vol. I. §. 3. p. 114.

(88) *Oeuvres*. T. XIII. *Traité des nerfs et de leurs maladies Chap. XXI.*

(89) Lib. V. Epid. c. 12.

(90) Prorrhet. Comm. T. II. 56. Lib. IV. de locis affectis. 2. Cfr. BROTBEQUIUS diss. de catalepsi a GALENO descripta. Tub. 1660.

runt apud CAELIUM AURELIANUM (91), N. PISONEM (92), DODONAEUM (93), FERNELIUM (94), FORESTUM (95), BUCHANANUM (96), ALBINUM (97), CAMERARIUM (98), TULPIUM (99), HENR. AB HEER (100), MARCELLUM DONATUM (1), RONDELETUM (2), REYNELL (3), FR. HOFFMANN (4); WEDELIUM (5), DIONIS (6), RODER (7),

(91) In acut. morb. Lib. II. Cap. X.

(92) De morb. cognoscend., et curand. Lib. I. Cap. 13.

(93) Obs. Cap. IV. VI.

(94) Pathol. L. V. c. 2.

(95) Lib. X. obs. 41. 42.

(96) De rebus scoticis. Lib. VI.

(97) Diss. de catalepsi. Frcf. 1690.

(98) Diss. de catalepsi epileptica. Tub. 1690.

(99) Diss. de catalepsi. Helmst. 1660.

(100) Lib. I. obs. 3.

(1) Lib. II. c. 6.

(2) Meth. curand. omn. morbor. Lyon Lib. I. c. 20.

(3) *Phil. trans.* N. 437. p. 49. et *Auserl. abhandl. prakt. u. chirurg. Inhalts. v.* LESKE. 2. Th. p. 307.

(4) De affectu cataleptico rarissimo. Frf. 1692. Med. rat. syst. Lib. IV. P. III.

(5) Diss. de catalepsi, rarissimo affectu sub nomine *Schonburg.* Jen. 1690. Diss. de affectibus soporis, et catalepsi. Jen. 1708.

(6) *Sur la mort subite et la catalepsie. Paris* 1718.

(7) Diss. de raro affectu cataleptico praesid. DE PRÉ. Erford. 1721.

Brendel (8), Sauvages (9), Hirschel (10), Delium (11), Cosnier (12), Baumer (13), Fabri (14), Lamberger (15), Latour (16), Schilling (17), De-Pré (18), Frank a Frankenau (19), Targioni (20), Vandermonde (21), Weber (22), Grundamm (23), Schroff (24),

(8) Diss. de catalepsi. Wittemb. 1700.

(9) *Mém. de l'acad. R. des sciences.* 1742. p. 409. (De ipsa aegra, de qua ante cap. XIII. de somniatione §. XLVI. quaestio.

(10) *Gedanken von der Starrsucht.* Berlin 1769.

(11) De catalepsi diatrib. medic. Berg. 1752. sec. edit.

(12) *Rapport sur les avantages de l'électricité dans la catalepsie. Paris* 1773.

(13) De ecstaseos, et catalepseos differentia, et de vera catalepseos notione etc. Giessae 1776.

(14) Tentamen de catalepsi. Hal. 1780.

(15) Diss. puellae catalepticae historia, et sanatio. Lugd. Batav. 1776.

(16) *Journal de médecine.* T. LII. p. 349.

(17) Diss. aegrum ex amore catalepticum factum exhibens. Giess. 1776.

(18) De raro cataleptico affectu. Erford. 1721.

(19) In additamentis ad quaestiones medico-legales Pauli Zacchiae. Lib. II. Tit. I. quaest. 15. p. 187.

(20) *Raccolta prima d'osservazioni mediche.* p. 97.

(21) *Recueil périod. d'observat. méd.* T. V. VI. p. 41.

(22) Observat. med. Fasc. I. an. 1764.

(23) Diss. de catalepsi. Helmstad. 1776.

(24) Diss. de vera catalepseos notione, et rationali curatione. Giessae 1776.

Dreyssig (25), La-Lan (26), Gerson (27), Osius (28), Illgner (29), Behrends (30), Borsieri (31), Henry (32), Petetin (33), Baude (34), Laurent (35), Renard (36).

§. LX.

AUTOPSIA CADAVERUM.

Symptomata.

1. Si catalepsis, quod admodum rarum est, symptomatibus prodromis annunciatur, ad ea spectant anxietas (37), aurium tinnitus, somnia turbulenta, vertigo (38), dolor capitis (39),

(25) *Handworterb. d. med. Klinik.* 2. B. I. Th. p. 55.
(26) Diss. de morbo cataleptico. Lugd. Bat. 1781.
(27) De catalepsi. Goett. 1797.
(28) De catalepsi. Marburg. 1799.
(29) Diss. de catalepsi. Frf. 1800.
(30) In Baldingers *n. Magazin.* IX. B. p. 193.
(31) Op. c. T. III. Cap. V.
(32) *Recherches sur la catalepsie. Paris* 1803.
(33) *L'électricité animale. Lyon* 1805.
(34) Diss. medica de catalepsi. Paris 1806.
(35) Diss. med. pract. de catalepsi. Paris 1808.
(36) Hufeland's *Journ. d. pr. Heilk.* 1815. juin.
(37) Appendix ad praesens caput.
(38) La-Mettrie.
(39) Forestus Lib. X. obs. 42.

oscitatio (40), rubor faciei (41), rigor colli (42), stupiditas (43), aura a praecordiis ad caput ascendens (44), abdominis cruciatus (45), et lipothymia. Paroxysmo ingruente aeger in ea corporis positione plane retinetur, sub qua invasio locum obtinuit. Sic FERNELII aegrorum unus in opere legendi, et scribendi prehensus calamum scriptorium retinuit, ac legere videbatur: alter autem in lecto jam decumbens adeo immobilis mansit, ut mortuus videretur. Iste e lecto tractus, pedibusque innixus statuaé instar stabat. Tales aegros per impulsum gressus facere (46) cum TISSOTO (47) dubitamus, quin potius reptare videntur (48). Apud HEER (49) capucinus statuae marmoreae similis uno genu terrae innitebatur, alterum ceu flexurus curvabat: brachium sinistrum pendebat ad genu, dextrum in aërem elevatum erat, diductis di-

(40) DOLAEUS Encyclop. med. dogm. Lib. I. cap. 6. p. 107.

(41) DOLAEUS l. c.

(42) HEERS obs. 3. p. 48.

(43) In juris studioso Vindobonensi.

(44) DOLAEUS l. c.

(45) HELVISII obs. phys. med. obs. 64.

(46) FR. HOFFMANN l. c. DIDIER in act. nat. C.

(47) L. c. p. 11.

(48) SAUVAGES l. c.

(49) L. c.

gitis. In catalepsi positionem corporis, in qua prehensi fuerant, retinuere comoediarum histrio coronam praemii gratia impertitam e capite suo in aliud transferendo (50), aegrorum secundus chartis ludendo (51), tertius sub scalarum ascensu (52), quartus saccum ad murum appendendo (53), quintus comedendo (54), sextus in castaneis torrendis (55), et septimus abituro medico valedicendo (56). Idea ultima verbis expressa ante paroxysmum est prima, quam paroxysmo elapso homo enunciat. Quodsi in media verbi cujusdam parte paroxysmus ingruat, altera pars eo terminato consequitur. Artus mira, et cerea flexibilitate praediti quemvis situm, qui iis intra gravitatis centrum impertitur (57), ad finem paroxysmi usque retinent. Pulsus aliquando lentus (58), pluries par-

(50) Plinius hist. nat. Lib. VII. c. 53.

(51) Gounin apud Tissot l. c.

(52) Buchananus. Sauvages l. c.

(53) De la Tour l. c.

(54) Jacot in Coacar. p. 68.

(55) Swieten l. c.

(56) Boerhaave prax. med. ad aphor. 1043. T. IV. p. 324.

(57) Catalepticus in Clinico Vindobonensi theatrales adeo corporis positiones, alias nonnisi arte addiscendas, retinebat.

(58) Sauvages l. c. ad 50 ictus in sexagesima horae parte numeravit.

vus, et frequentia normalis. Respiratio vix perceptibilis, aliquando a sana non recedens (59). Alvus interdum pertinaciter clausa (60). Musculi abdominales (61), et aliquando maxilla inferior (62) in statu convulsivo. Temperatura corporis frigida (63) cum facie, saltem ab initio paroxysmi (64), rubra. Oculi fere semper aperti cum pupilla ad lucem minime contractili. Visi tamen sunt cataleptici cum oculis clausis (65), atque hic palpebrae remotae sponte cadebant. Quocunque in casu oculi immobiles, fixi sunt, ac videndi facultate orbati. Pupillam contractilem ipsi observavimus (66). Acclamatio ipsas in aures, rumor summus aegrum minime excitant. Res ori immissae, quamvis lente (67), deglutiuntur (68), aliquando vero rejiciuntur (69). Odoratus aliquando exquisitus

(59) Appendix ad praesens caput.

(60) Heers l. c.

(61) Forestus, Dolaeus, aliique.

(62) Tissot l. c. p. 25.

(63) Frigoris marmorei meminerunt Eph. nat. cur. Dec. II. An. I. Obs. I.

(64) Wedel l. c. N. 1.

(65) Piso l. c. p. 150. Swieten L. III. §. 1036. p. 312.

(66) Appendix.

(67) Ibidem.

(68) Forestus. Puer nosocom. Vindobon.

(69) Nova acta med. physic. T. I. Obs. 99.

(70). Cute fortiter irritata, acu lacessita, perceptionis nullum consequitur indicium (71). Contra vero lenes impressiones, praecipue si in regione epigastrica, ad apices digitorum manuum, et pedum, aut ad verticem contingant, ab aegrotantibus perceptas fuisse, fertur (72). Duratio paroxysmi a nonnullis horae momentis (73) usque ad octodecim horas (74) observata est. Plerumque inter tres, et quindecim sexagesimas horae partes absolvitur. Terminatur accessus plerumque suspirio, oscitatione, brachiorum extensione, loquacitate in delirium desinente (75). Nulla rerum sub paroxysmo cum aegro aut circa eum peractarum relinquitur memoria, ac aeger tunc aliquando sanus videtur. Paroxysmi nunc determinatis sive diebus (76), sive horis (77) redeunt, nunc porrecta vel levi occasione, e.

(70) La Mettrie.

(71) Appendix.

(72) Petetin Renard l. c. Cfr. Appendix.

(73) Momentaneae catalepseos meminit Gounin apud Tissot l. c. p. 63.

(74) Swieten l. c.

(75) Aegra Attalinii apud Tissot (l. c. p. 16.) de lite, quam cum alia experiebatur, loqui non desinebat. Cfr. Appendix.

(76) Sic omni die veneris, aut sabbati apud Swieten l. c.

(77) Cfr. Appendix.

c. odore ingrato, gestu peculiari (78) clystere irritante (79) excitantur. Decem paroxysmi visi sunt de die. Tempore a paroxysmo libero evacuationes vix a norma recedunt (80), ciborum desiderium nunc languet, nunc normale est (81), nunc in voracitatem degenerat (82).

Cadaverum autopsiae.

2. Catalepticorum cadavera obtulerunt sanguinem atrum cerebri, et cerebelli vasa distendentem, et cruorem extravasatum (83), concretiones polyposas in sinu longitudinali, laesis simul pulmone, et hepate (84), ulcera cerebri (85), hoc viscus anterius durius, po-

(78) Puella, quam in nosocomio Mediolanensi a. 1791 vidi, toties in paroxysmum incidebat, quoties sanctae crucis signo muniret se, aut signum hoc in aliis adspiceret, unde constanter cataleptica evasit, adportata in cubiculum sacra eucharistia, reliquis quippe aegrotantibus crucis signum facientibus.

(79) Kuehn in *Schriften der berlinischen Gesellschaft naturforschender Freunde.* I. B. p. 367.

(80) Hoffmann l. c.

(81) Vogel praelect. de cognoscend. et curand. morb. §. 569.

(82) Eph. nat. cur. Dec. V. p. 195.

(83) Holier de morbis internis. Cap. I. c. 9. in Schol.

(84) Lieutaud *Précis de médecine. Maladies internes de la tête.* Lib. I. p. 212. Cfr. ab Heers l. c.

(85) Hoven *Handbuch der pr. Heilk* 2. B. §. 43. p. 49.

sterius mollius, nervos ad eorum origines siccos, tenues (86).

§. LXI.

CAUSSAE. DIAGNOSIS.

Caussae.

2. Catalepsis feminis communior, mediae aetati maxime infensa, interdum et inter infantes obveniens (87) nulli anni tempori (88), nulli genti (89) addicta excitari solet protracta circa unum idemque objectum, praecipue religiosum (90), meditatione, mentis applicatione

(86) SCHENK de caussis catalepseos. Lib. I. Obs. 1. 2. 3.

(87) Vide de puella quinque annorum cataleptica, Act. nat. cur. Dec. II. An. I., et virgine tredecim annorum eodem morbo detenta, DE LA TOUR l. c.

(88) Communi consensu opinio FR. HOFFMANNI catalepsin morbum hyemalem declarantis falsa habetur.

(89) Judaeos catalepsi praecipue obnoxios esse, cl. DREYSSIG (l. c. p. 67.) contendit, ac suspicatur cum SPRENGELIO (*Handb. d. Pathol.* 3. Th. §. 507. p. 303.), onaniam, cui dediti dicuntur, potissimum accusandam esse. Ad me quod spectat, nunquam catalepsin in judaeis observavi, ac onaniae vitium rarius inter eos, quam alias apud gentes inveni.

(90) Catalepsin *morbum claustralem* esse docent observationes AB HEER, CAPO-DA-VACCA apud FORESTUM (Obs. T. I.

(91), morbis diu, noctuque excruciantibus (92), exspectatione eventus rei dubiae (93), moerore diuturno, e. c. ob gravem mariti morbum (94), ob carceris timorem (95), ob matrimonii futuri spem delusam (96), ob iter a fratre dilecto suscipiendum (97), ob nuncium tristem, et repentinum (98), a terrore incendii causa (99),

obs. 42. in scholio), ac celeberrima historia *monacharum* Louduni (in Vol. XX *du mercure de France*), quippe quibus imago sacerdotis nomine URBAIN GRANDIER in paroxysmo catalepseos ecstaticae sub forma quadam horribili comparuit: quod pro maleficio ab eodem illo sacerdote operato quum habitum fuisset, miser die 18 augusti 1634 vivus flammis consecratus fuit. Cum anno 1815 Minskii degerem, pro juvene monacha cataleptica in consilium ductus sum, quam tamen in ipso paroxysmo non vidi. Cfr. ZIMMERMANN *von der Erfahr.* 14. B. 12. C. et LIEUTAUD synops. P. I. p. 153.

(91) GALENI casus. PLATER Obs. Lib. I. p. 27.

(92) Appendix.

(93) Aegra ATTALINII apud TISSOT l. c. p. 11.

(94) WEDEL l. c.

(95) Idem, ibid.

(96) TULPIUS obs. med. Lib. I.

(97) MARX de spasmis. Halae 1765. §. 61.

(98) In actis Academiae Parisiensis de fabro lignario narratur, qui audiens alterum, quem verberaverat, periisse, in catalepsin incidit.

(99) MARX l. c.

ab ira (100), ab antipathia (1), ab amore (2), ab imaginatione (3), a liquorum fermentatorum potu (4), a vermibus (5), a menstruorum defectu, aut irregulari decursu (6), ab ovariorum vitiis (7), ab onania (8), et externa demum capitis laesione (9). Hypotheses proximam catalepseos caussam spectantes invenire licet apud PLATERUM (10), RIVERIUM (11), FORESTUM (12),

(100) DODONÉE encyclop. med. L. I. c. 8. Act. nat. cur. Dec. II. an. I.

(1) RONDELET (Lib. I. c. 20. p. 98.) de femina narrat, quae cataleptica fiebat, dum mariti nomen coram ea pronunciabatur, et ob illius adventum, *etiam priusquam eum audiret, aut videret.*

(2) SCHILLING l. c.

(3) Sacerdos, dum in passionis historia ad verba: *consummatum est*, perveniebat, semper catalepticus reddebatur. Puella nosocomii Mediolanensis, de qua supra (78), catalepseos paroxysmum experiebatur nomen JESU audiendo.

(4) SCHROFF l. c.

(5) ALEX. BENEDICTUS VERONENSIS Lib. I. c. 26. SWIETEN l. c. §. 1040.

(6) FONSECA Lib. II. Consultat. LA-METTRIE et REYNELL l. c.

(7) RENARD l. c.

(8) Juris studiosus clinici Vindobonensis.

(9) STARK *Handb. zur Kenntniss und Heilung innerer Krank.* 2. Th. p. 150.

(10) Prax. T. I. c. 2.

(11) Prax. cap. 4.

(12) De cerebri morbis. Lib. X. obs. 50. in Schol.

THONERUM (13), DE LA TOUR (14), HOME (15), et PETETIN (16), fortasse a veritate minus aberrante.

Diagnosis.

2. Catalepsis, aliquando *simulata* (17), aut *voluntaria* (18) ab *apoplexia* (19), *congelatione* (20), *sideratione* (21), *lipothymia*

(13) Lib. II. Obs. de catalepsi.

(14) *Recueil périodique d'observations de médecine*, par VANDERMONDE. T. V. p. 45.

(15) Principia medicinae. P. II.

(16) L. c.

(17) MARX l. c. §. 19, de femina Londinensi loquitur, cujus fraus ideo detecta erat, quod brachium extensum, cui pondus appensum fuit, retinebat, quod in catalepsi non accidisset.

(18) Presbyter quidam nomine RESTITUTUS, quando ei placebat, ita auferebat se a sensibus, et jacebat mortuo simillimus, ut non solum vellicantes, et pungentes minime sentiret, sed aliquando etiam igne ureretur admoto sine ullo doloris sensu, nisi postmodum ex vulnere (AUGUSTINUS Lib. XIV. de civitate Dei. C. 24. p. 158).

(19) Aegra ATTALINII, de qua TISSOT refert (l. c. p. 12), pro apoplectica habebatur.

(20) In exercitus NAPOLEONIS reditu per Vilnam a. 1812, ardeliones judaei joci gratia in plateis congelatis militibus varias positiones militares impertiebant, quas eorum cadavera diu retinebant. Rigorem ex frigore generis plane alius esse, quam catalepsis, jam SENNERTUS (l. c. p. 721.) animadverterat.

(21) CARDANUS de octo messoribus sub quercu decumbentibus,

(22), et *anaesthesia* facile distinguitur. Non ita a *somniatione*, et *ecstasi*.

Somniatio.	*Catalepsis.*
1. Somni imaginem refert.	1. Oculos plerumque apertos exhibet.
2. Motus concessi.	2. Corpus statuae simile.
3. Aeger loquax.	3. Aeger sermone orbatus.
4. Membra situm iis impertitum non retinent.	4. Membra situm impertitum retinent.

Ecstasis.	*Catalepsis.*
1. Aeger valde animatus.	1. Aeger statuae similis.
2. Sermo sublimis, vel cantus.	2. Os mutum.
3. Gestus contemplationis objectum exhibent.	3. Motus voluntarii nulli.

Praeter genuinam a nobis definitam catalepsin (catalepsis perfecta) varii etiam ejusdem morbi existunt gradus minores (catalepsis imperfecta),

atque coenantibus narrat, qui fulmine tacti in ea forma, qua fuerant prehensi, manserunt. Unus videbatur comedere, alter poculum ori admovere (Lib. de fulgur. c. 7. T. II. Op. p. 726).

(22) Cfr. Reynell l. c.

quos ducibus ROLFINKIO (23), et praesertim HERCULE SAXONIA (24), nomine *affectionum catalepticarum* insignimus. Hujusmodi affectiones in hysteria (25), in *febribus* tum *continuis* (26), tum *intermittentibus* (27), et ab *ovariorum vitiis* (28) visae fuere, quibus tamen in morbis non quivis motus automaticus, fortasse sub sopore, uti in hydrocephalo (29), aut ex vermibus (30) contingens mox generis cataleptici habendus est. Quodsi symptomata cataleptica in uno tantum latere (31), aut una in parte

(23) Epit. de cognoscendis, et curandis particular. corp. affect. Lib. c. 8.

(24) Praelect. practicae.

(25) PETETIN l. c., et BURSERIUS l. c. p. 107. in nota. Casus hic narratus, ut auctor ipse existimat, vix ad catalepsin pertinet.

(26) BOERHAAVE l. c. ad aph. 1040.

(27) *Febris intermittens perniciosa cataleptica.* Cfr. C. Medicus *Gesch. d. period. Krankheit.* I. B. 2. *Aufl.* 1792. p. 16. Ephem. nat. cur. Dec. II. An. I. Obs. I. De catalepsi periodica in canc. vid. ibid. An. V. Obs. I. Act. med. et philos. Hafniens. T. III. Obs. 52. BOERHAAVE aphor. §. 1140. BALDING. Mag. l. c. p. 207.

(28) RENARD l. c.

(29) Cap. IV.

(30) BENEDICTUS de curat. morb. L. I. c. 26. TISSOT l. c. p. 54.

(31) DE-LA-METTRIE p. 273. WEBER obs. med. Fasc. I. An. 1764. Cfr. FABRI l. c. p. 69. et OSIUS l. c. p. 21., partialem catalepsin minime admittentes.

(32), ast cum reliquis morbi, de quo agitur, indiciis obvenirent: ea a genuina catalepsi non excludenda forent. Postremo haud ignorandum, catalepsin saepius societatem cum *somniatione*, ac *ecstasi* (33), et, quod mirum videtur, cum ipsa *chorea St. Viti* (34) inire, quibus in casibus *composita* dici solet.

§. LXII.

PROGNOSIS. CURA.

Prognosis.

1. Rarius catalapseos inveniuntur exempla funesta (35): unde mirum est, hunc morbum

(32) Tissot l. c.

(33) Cap. XII. §. XLVI. N. 1. (46) et Appendix. Quidam cataleptici, ait R. A. Vogel (Praelect. de cognosc. et cur. praec. corp. human. affect. Lausan. 1781. Ed. Tissoti P. II. §. 570. p. 157.) simul ecstatici fiunt durante paroxysmo, atque mira phantasmata, visiones divinas, angelorum consortium enarrant, linguas, quas non didicerint, loquuntur, si fabula vera, quin etiam futura pronunciare videntur.

(34) Casus a Sauvagesio ex actis Academiae Upsaliensis a. 1742. p. 41. sub nomine catalepseos delirantis allatus (l. c.) nil aliud, quam catalepsis primum cum somniatione, dein cum chorea complicata fuisse videtur.

(35) Lethalem catalepsin refert Dodonaeus in adnotat. ad cap. 46. de abditis rerum caussis Benivenii. De aegro in paroxysmo demortuo refert Lonicerus de exempl. morb. in cap. de congelat. p. 5.

pro admodum periculoso declaratum fuisse (36). Solvitur aliquando narium haemorrhagia (37), aut menstruatione (38), verum fugatus facile recrudescit (39): hinc inde per totum vitae decursum durat (40). Catalepsis in morbis acutis pejor, quam in chronicis. Attamen et hic in maniam (41), melancholiam (42), epilepsiam (43), et atrophiam (44) transivisse est visa.

Cura.

2. Pro variis hypothesibus, quas sibi auctores de catalepseos caussa proxima excogitarunt

(36) Piso. Sennert. Boerhaave.

(37) Aetius Lib. 6. c. 4.

(38) De la Tour l. c.

(39) Sauvages l. c.

(40) Fahr in Eph. nat. cur. Dec. II. an. 2. obs. 1.

(41) Marcellus Donatus l. c. Vir triginta annos natus vitam omnino vitiosam, et intemperatam ducens, quum Vilnae anno 1815 quadragesimae tempore concionem quandam acerbiorem audivisset, ac malefactorum suorum conscientia nimis agitaretur, in ipso templi ostio catalepseos impetu prehensus fuit. Qui, quamvis post quartam horae partem discussus fuerit, homo tamen tristis, et cogitabundus post aliquot dies in maniam incidit, quae praecipue desperatione, aeterni supplicii timore, ac fuga a daemone prosequente insigniebatur. Curae nostrae traditus duarum septimanarum spatio convaluit.

(42) Osius l. c. p. 20.

(43) Nic. Piso l. c.

(44) Postellius in *Journ. de méd.* T. XX. p. 407. Boerhaave l. c. Et juris ille studiosus in tabem incidit.

(45); variam quoque medendi rationem proposuere. Nos, ducibus indicationibus generalibus, placide, ut Tissot suadet (46), incedendo pro re nata *hirudines* (47), *balnea frigida* (48), *emetica* (49), *enemata*, et *suppositoria* (50), *opium* (51), *subsulphatem cupri*, et *ammoniae* (52), *electricitatem* (53), *magnetismum animalem*, *musicam* (54), si liceat *coitum* (55), *frictiones*, *titillationem plantarum pedum* (56), *lac*, et *saccharum* (57) proponimus, habita summa *regionis epigastricae* cura (58), ac relegatis ultra Garimantas ira, terrore, et curis.

(45) Cfr. Piso, Sennert, Boerhaave.

(46) L. c. p. 81.

(47) Cfr. Appendix.

(48) Marx l. c.

(49) Wedel l. c.

(50) Idem l. c.

(51) Idem l. c.

(52) Thomassen a Thuessink *Verhandelingen te Vlissingen. Deel XIV.* p. 363. *Samml. auserl. Abh. f. pr. Aerzte.* XVII. B. p. 279.

(53) Cosnier l. c.

(54) Petroz in *Dictionnaire des scienc. med.* T. IV. p. 281.

(55) Ephem. nat. cur. Dec. II. obs. 42.

(56) Wedel l. c.

(57) Appendix.

(58) Petetin, et appendix.

APPENDIX

AD CAPUT XIV

Historiam catalepseos compositae continens.

Ludovica Baerkmann viginti duos annos nata, fabri lignarii Kiesslingii filia, religionis evangelicae, confectoris horologiorum catholici uxor, oculis nigris vividis, crinibusque fuscis praedita, educatione, quae civem deceat, instituta, idiomate polonico ut familiari utens, linguam germanicam callens, minime vero italicam, quamvis per plures annos apud sororem suam Italo nuptam habitaverit, in musicis non versata, theatrum tamen quondam saepius frequentare solita, primo felicissimi matrimonii anno versus finem vergente, praevia graviditate ad nutum procedente, die secunda decembris 1815 n. st. prolem brevi demortuam non sine metrorrhagia sat conspicua peperit. Rebus jam omnino bene incedentibus, postquam ope aquae frigidae puritati partium genitalium studuerat, derepente die vigesima tertia decembris in febrem ardentem incidit, accedente simul *tumore* sic dicto *albo puerperarum in crure dextro.* Venae sectiones, hirudines, lenia evacuantia, vesicatoria, diapnoica, diuretica, calomel, scarificationes

partis adfectae, aliaque multa localia sensim sensimque in usum ducta fuere, at omnia incassum. Immo accessit et alterius cruris tumor plane similis. Tumores hujusmodi tanti fuere, ut crura, et pedes ultra triplex volumen adepta essent. Praeterea attactum, et motum vel minimum ita respuebant, ut aegra immobilis continuo dorso decumbere deberet, ac atrocibus doloribus diu noctuque excruciata vix per horae dimidium nychthemeri spatio somno frui posset. Atque sic, urgente semper febre vehementi cum sudoribus profusis, non per unam alteramve hebdomadem, sed per plures menses grabato adfixa erat. Tot aerumnis exhausta, ac plane desperabunda omnem in medicos fidem amittens die quarta martii iis valedixit, atque agyrtarum, et vetularum consilia secuta est. Illorum unus pulveres ex cremore tartari, nitro, magnesia, et castoreo praescripsit, quibus alvus copiose, frequenterque mota est, consequente magna virium jactura. Accidit tum forte, ut aegra lapsu infantis cujusdam admodum terrefacta esset. Brevi post, die scilicet 19 martii n. st., ecce delirium, sub quo aegra se bene valere, domumque derelinquere velle asserebat, vestes induere optabat, et id genus alia, quae scena post horam, supervenientibus nonnullis symptomatibus catalepseos (sic saltem ex narratione mariti judicare

licet), terminabatur. Tunc misera, exceptis partibus tumidis sceleto similis pristinos iterum experiebatur cruciatus. Jam vero, spreto qualicunque humano auxilio, omneque solatium a Deo omnipotente expectans diu noctuque fervidissimas preces fundebat, ac fidem evangelicam cum catholica commutavit. Rediit interea post hebdomadem idem delirium, ac, ut adstantes ajebant, cantu et symptomatibus catalepticis, quemadmodum antea, stipatum. Et haec secundo remiserunt, decrescentibus magis magisque viribus atque appropinquantibus mortis indiciis. Jam vero duo paroxysmi spatio hebdomadis constanter inter horam quartam, et quintam vespertinam incedebant, sub quibus aegra (si ex adstantium narratione judicare liceat), primum cataleptica, dein ecstatica evadebat, ac postremo in cantum prorumpens, quo terribilem suum statum deplorabat, et coeli exposcebat auxilium: utebatur sermone polonico integris phrasibus italicis intermixto. Haec omnia a marito, et consanguineis aegrotae pro delirio proximam mortem annunciante habita fuerunt. Qua de caussa sacerdotes quidem, sed non medici adducebantur. Accidit forte, ut frater mariti Joannes Baerkmann medicinae doctor ab itineribus, quae per Galliam, et Germaniam plurium annorum curriculo fecerat, Vilnam redux esset. Qui in-


visit quidem aegram, at cum eam in statu, uti credebatur, plane conclamato invenisset, cumque ipse plurimis negotiis obrueretur, peculiarem illi haud dedit curam. Contigit interea, ut die 13 maii fortuito paroxysmi cujusdam testis fieret. Tum protinus, non delirium hic, sed stupendum agi phaenomenon cognoscens, sine temporis jactura rem ad me detulit. Accessi die sequente ad quintam horam pomeridianam. Horrui terribilem aegrae a me per quatuor menses non visae adspectum, mortis imaginem prae se ferentem. Quin immo mortuam eam dixissem, nisi genae subrubrae, oculi aperti, fixi, respiratio sublimis, ac lenta, pulsusque ultra centum in horae sexagesima parte micans, de superstite vita testarentur. Incassum proprio nomine miseram compellavi, brachiaque concussi. Omnia docebant, ipsam mentis impotem esse. Status iste haud diu duravit; paucis enim elapsis horae momentis, compos sui facta est. Num dormivisti, interrogavi. Sic sane, et placidissime quidem, respondit. Per dimidium nunc horae mecum de statu suo loquebatur tantos cruciatos incusans, quantos nemo mortalium sustinere valeret. Consolationem, quoadusque mihi licuit, verbis offerens, cum nemo pharmacum a me expeteret, ac nil memorabile observaretur, discessi. Advocor iterum hora octava

vespertina, qua, praevia anxietate quadam, denuo immobilis, et mentis impos evasit: atque sic eam inveni, excepto motu quodam labiorum, ac si oraret, aut secum clam loqueretur. Brevi autem elapsa mora, en cantus prius voce humili, dein alta, et sonora. Non quidem versus proferebat, attamen poëtico quodam afflatu, et metro cantus insignitus erat. Ecce prolata verba, sicuti ex ore aegrae fluebant chartis, me praesente, commissa latine versa:

Summe et misericors Deus!
Heu, fer opem mihi miserae!
O tu adflictorum consolator!
Fac armes me patientiae virtute,
Quippe qui solus es spes mea,
O vos dilecti mei!
Pensate meam adflictionem,
Percipitis, ut homo parvi aestimandus sit,
Utque vix differat a pulvere.
O magnum bonumque numen.
Unica spes mea.
Impone finem doloribus meis
Aut redona me valetudine.
Desinant vivere ii, qui diu gavisi sunt vita,
Ast ego en inops exaresco in ipso flore:
Ne punias attamen questus meos,
Jam pridem utique dedidi me tuae sanctae voluntati.
Age adfice solatio dilectum conjugem
Participem dolorum meorum,
Vosque sorores, et fratres adeste mihi conflictanti,

En ego relinquo vos, atque aeternum dico vale:
Verum non desperetis velim, serius ocyus
Jungemur superum ope haud dissociandi.
Apage tu male daemon, cui nullum jus in me competit;
Qui se commisit Deo, non ille obnoxius est tibi;
Aufer te ex animo meo, monstrum tartareum!
Quandoquidem anima mea alio gaudet domino.

Melodia, quae intercipiendo declamationem, italis *recitativo*, non neglectis, ut dicunt, *forte*, et *piano*, saepissime sequebatur, haec fere est:



Summe et mi se ri cors Deus heu fer opem mihi mi se rae!

Brachiorum, inprimis sinistri gestu, moderato illo quidem, ac significante, et cum dignitate quadam conjuncto, vocem sequebatur. Arrepta brachia motui a me impertito sine difficultate obediebant, et situm qualemcunque, utut incommodum retinebant. Quum per horae dimidium hujus stupendi phaenomeni testis fuissem, acclamatione iterata, eaque semper fortiori, aegram excitare tentavi: at incassum. Oculi quidem aperti erant, sed defixi cum pupilla immobili, palpebris admoto etiam digito haud nictitantibus, nullisque visus indiciis. Cute acu puncta, nulla observabantur doloris signa. *Peteteni* tum mihi in mentem venerunt observatio-

nes: qua de caussa, admoto ore regioni epigastricae humillima, ac a nemine adstantium percipienda voce, loqui incepi. Extemplo aegra, quasì ad se rediens, interrogationibus respondebat, et quidem hac fere ratione. *Interrogatio*: Dormisne? *Responsio*: Dormivi, sed nunc non dormio. *I.* Num quid doloris est? *R.* Ut semper, ad crura, et lumbos. Concessa aegrae quiete iterum cataleptica facta est, et post pauca horae minuta denuo, uti supra, cantabat. Iteravi tunc periculum eam modo consueto excitandi, verum id nullo pacto efficere potui. Contra vero sermone ad regionem epigastricam repetito, mox iterum respondebat. Et sic bis etiam, intermediis semper catalepsi, et cantu. Morbum hunc pro ecstasi catalepsi juncta declaravi. Praeterea cum varia experimenta capere mihi proposuissem, socium, ut testem, habere volui virum, potius incredulum, ac res admirandas non facile admittentem, cl. nempe ANDREAM SNIADECKI chemiae professorem, ac medicum simul expertum. Eo postridie circa horam quintam pomeridianam praesente, tota hesterna iterabatur scena.


Die 16 *maii.* Cantavit heri usque ad horam decimam vespertinam. Nox erat reliquis tranquillior. Hora quarta pomeridiana, praevia hilaritate, mentis exaltatione, et delirio, sub quo se sanam esse fatebatur, ac vestes induere vo-

luit, novus paroxysmus ingruit, praesente, praeter D. Sniadecki, professore chirurgiae Niszkowski, et paulo serius me ipso. Cantabat voce minus sonora, ac magis declamatione (*recitativo*) utebatur. Ideae cantu elatae eaedem fuere. More solito brachio sinistro maxime gestus agebat. Sermocinando super regionem epigastricam *excitabatur*, et respondebat, quamvis interrogatio humillima voce facta fuerit. Ast interrogata a D. Sniadecki humili quoque voce prope aurem dextram, etiam expergefacta respondebat. Non excitabatur, neque respondebat loquendo super pulvinar, cui caput illius incumbebat. Excitabatur vero, et loquebatur, admota auri dextrae virga ferrea longitudinis unius ulnae cum dimidio, super cujus alteram extremitatem D. Sniadecki humillima voce loquebatur. Repetiit idem experimentum D. Niszkowski eodem cum successu, applicando virgam super os frontis. Quoties quies concederetur, toties in ecstasin, et aliquando in catalepsin iterum incidebat. Ex hac, uti ex illa, excitari aequo pacto potuit. Inter unum vero, et alterum insultum motus faciei convulsivos inscia patiebatur, capiteque nutabat. Quum semel manum unam super regionem epigastricam, alteram ad occiput posuissem, protinus evigilavit. Interrogabam tunc: dum dico aliquid, quo pacto id sentis? Respondit: dum

circa caput loqueris, audio, dum vero ad cordis scrobiculum me compellas, caloris sensum percipio, qui respirationem mihi impedit, indeque evigilo. *I.* At quo pacto tunc audis? *R.* Nescio, sed existimarim, uti prius. Cum paroxysmi stata hora pomeridiana incederent, et aegra sat bene comederet, scopo videndi, utrum illi cum digestionis opere cohaererent, consilio Sniadeckii prandium hora citius praescriptum fuit. Alvus, et urina semper normales.

Die 17 *maii.* Aegra heri vix sola relicta iterum in paroxysmum cum delirio incidit, ad horam decimam nocturnam durantem. Eo vigente ajebat se sanam esse, vestes expetebat, cognoscendo tamen, nominandoque adstantes. Nox bona. Mane hora octava ecstasis, sub qua hilaris cantabat de angelis formosis, quibuscum ludebat, flores pro illis se carpere credens. Prandium hora undecima sumpsit. Circa horam quartam pomeridianam nova ecstasis cum lacrymarum profluvio ob exacerbatum, uti aegra dein referebat, pedum dolorem. Hora 5 ad 7 praesentibus DD. Sniadecki, Niszkowski, Baerkmann, et me, sub catalepseos insultu virgam duarum ulnarum vitrea super aurem dextram posita est, ad cujus alteram extremitatem loquebatur Sniadecki. Spatio unius temporis minuti evigilavit, dicens, se caloris sensum ad aurem percipere;

at nil aliud. Quum mox in catalepsin relaberetur, eadem virga vitrea cava, cujus per medium *filum ferreum* ductum erat, eodem pacto applicabatur. Citius tum excitata caloris sensum incusabat: interrogata autem, num audiverit, fassa est, voce adeo humili locutum fuisse, ut nil intelligi posset. Virga *ex carbone* ejusdem longitudinis auri admota, citissime expergefacta est, ac omnia verba intellexit. Utrum oculi minimae luci, quemadmodum aures minimo sonui, responderent observare cupidi, conclave ultro obscuravimus, at incassum. Neque enim sponte evigilabat, neque arte excitata in obscuritate videre potuit. Horologium meum, modo insensibili micans, cum auri admotum fuisset, illam protinus excitavit. Ita attactus pedum aegrotantium. Sub ecstasi faciem exhibuit serenam, ac cantabat, se sanam futuram esse: DEUM quippe, exauditis ejus precibus, misisse ad eam viros, quos illa deos habuerit, quorumque conaminibus morbum non sine praeviis adhuc doloribus fugatum iri speraret. His sequentem vocem saepissime intercalabat:



U xor Barkmanni fi - et sa na fi et fi et sa na.

Die 18 *maii*. Brevi post exitum meum delirium hilare scenae finem posuit. Nox, adhibitis nonnullis laudani liquidi guttulis, placidissima. Mane aliquot cantus uti heri. Dr. Niszkowski incisiones crurum ad tibiam sat profundas fecit. Exiit humor lymphaticus, tumore quidquam subsidente. Hora tertia pomeridiana en catalepsin, sub qua Dr. Sniadecki sequentia fecit experimenta. Calami scriptorii parte superiore cutim lenissime tractabat, nimirum ut videret, an minimus attactus, sicuti minimus sonus, effectum evidentiorem produceret. Illico aegra brachia adversus calamum porrexit, eumque manu avide arripuit: cum autem vi evulsus esset, manus post illum, quoquoversus moveretur, itidem extendebat. Motus vero illi non fuerant similes motibus voluntariis, sed brachia machinae cujusdam instar, ut fere corpora electrica invicem attrahuntur, calamum sequi videbantur. Calamo super mensam posito omnino conquiescebant, eoque iterum manibus nostris assumpto, brachium iterum movebatur erga calamum. Deportato eo in aliud cubiculum, tam inquieta fiebat aegra, ut, brachiis versus calamum directis, e lecto quasi prosiliret. *Cera sigillatoria* eundem effectum in aegram habuit. Dum eam in una, calamum autem scriptorium in altera manu e longinquo,

et, quin aegra me videre potuisset, etiamsi visu gavisa esset, tenebam, utrumque brachium ad objecta haec extendebat. Sicuti calamus scriptorius, et cera sigillatoria, ita *succinum* a Dr. BAERKMANN admotum agebat. At haec omnia tunc solum tam evidentem effectum in aegram exserebant, cum inter manus hominis, non autem cum quiescentia super mensam manerent. *Vitrum* aegrae appropinquatum nullos brachiorum motus excitavit. Videndo sic corpora idioelectrica tantum in corpus aegrae exserere effectum, incidit mihi cogitatio *felem*, ut animal summopere electricum, illi admovere. Parvulum itaque animal in distantia pedis unius a lecto super brachium tenens, altera manu illud tractim lenissime fricavi. Illico aegra in atroces motus convulsivos incidit, ambabus manibus caput amplectebatur, ac ab objecto sibi horrendo avertebat adeo, ut eam excitare coacti fuerimus nomen illius in aurem insussurando. Expergefacta, ac paulo antea summam anxietatem perpessam esse, asseruit. Interrogata, an feles toleraret, se id minime posse, respondit. Per omne horum experimentorum curriculum cataleptica erat, at non ecstatica ut alias, aut cantans.

Die 19 *maii.* Heri ad vesperas, cum maritus in tertio cubiculo, neque ab aegra visus,

sorori ejus historiam de calamo narraret, illumque forte manibus arripuisset; aegra tunc sibi compos mox in delirium incidit, manusque adversus calamum extendebat. Advocato autem marito, sepositoque calamo, omnes turbae compositae fuere. Nox bona. Mane lectus mutabatur, quod ob dolorum sub situs mutatione saevitiam omni tantum decima die fieri potuit, qua occasione NISZKOWSKI tumorem nates, et crura occupantem, ac fluctuantem vidit. Ex incisionibus heri factis copiosum serum manabat. Genua quidquam detumuere. Cantavit iterum, uti nudius tertius. Prandium cum pauco appetitu sumpsit. Hora tertia in catalepsin, et ecstasin incidit. Intrante fortuito cane in cubiculum, valde inquieta facta est, donec fugatus fuit. Experimentum cum calamo scriptorio eodem cum eventu, et in tertio cubiculo repetitum erat: sequebatur stridor dentium. *Sericum* eodem pacto agebat, experiente SNIADECKI. Cantabat iterum, iterumque, at profundiore, debilioreque voce. Quum plurima experimenta cum sensibus visus, auditus, et tactus facta fuissent, *gustum* quoque examini subjicere volui. Regioni hinc illi, qua tam facile audiebat, epigastricae nempe, solutionem sacchari in aqua frigida linteo exceptam imposui, ac manum meam prope hanc regionem

tenens, super verticem humillima voce allocutus sum. Inde non excitabatur, at in *somniationem conjecta* interrogatis respondebat: *I.* Dormisne? *R.* Non, somnio. *I.* Num vides? *R.* Nec video, neque audio. *I.* Percipis tamen vocem meam? *R.* Percipio eam, sed tuam unice tantum. *I.* Quot homines hîc adsunt? (aderant Doctores NISZKOWSKI, BARANKIEWICS, HOMOLICKI, HERBERSKI, plurimaeque affines, et amicae aegrae) *R.* Nescio: plurimos adesse ex halitu eorum nosco, sed nec video, nec audio. *I.* Noscis me? *R.* Utique. *I.* Quis sum? *R.* (post aliquot momenta)... JOSEPHUS FRANK benefactor, et salvator meus etc. *I.* Visne, ut te magnetismo animali submittam? *R.* Non video necessitatem, nam egomet ipsa nosco, quid ad restituendam sanitatem meam requiratur. *I.* Quid ergo? Unguentum ante omnia genubus illiniendum. *I.* Quodnam? *R.* Nescio, *I.* An album, aut nigrum? *R.* Potius nigrum. *I.* Quoties in die? *R.* Ter. *I.* An incisiones adhuc necessariae erunt? *R.* Tempus id docebit, sed existimarim necessarias fore. *I.* Quid dein? *R.* Liberatis cruribus a materia, balnea adhiberi debent. *I.* An rimedia interna quoque necessaria sunt? *R.* Utique. *I.* Quaenam? *R.* Cortex peruvianus. *I.* Quo pacto paratus? (hîc modum infusum corticis frigidum parandi, de quo heri

inter medicos sermo erat, accuratissime recitavit). *I.* Num ossa tua corrupta? *R.* Non: sed debilitata a longo decubitu. *I.* Videsne ea? *R.* Non video quidem, sed nimis, eheu! sentio. *I.* Usus phosphori eritne hic indicatus? *R.* Puto phosphorum esse rem ardentem, non juvabit. *I.* An rubia tinctorum? *R.* Cur non? *I.* An aqua calcis cum lacte? *R.* Vehementer dubito, ventriculum meum lac perferre posse: nam etiam sanus illud respuit. *I.* Sed tamen fortasse post corticis usum? *R.* Forsitan: alioquin enim timerem diarrhoeam, quae mihi admodum nocuit. *I.* Quae alimenta essent tibi accommodata? *R.* Res subacidae, carnes gallinarum juniorum. *I.* An chocolata? *R.* Minime; multum enim me calefacit. *I.* Quid musica? *R.* Utilis esset ad mentem meam recreandam: verum et amicorum consortium id levaminis affert mihi: pessime enim habeo, dum sola in praeda dolorum, et cogitationum mearum maneo. Musica multas impensas faceret, et jam tot earum pharmacia dedit (non medici... quanta urbanitas!). *I.* An te interrogationibus meis defatigo? *R.* Immo gaudeo, me multa circa valetudinem meam loqui posse. *I.* Quando habebis menstrua? *R.* Vix antequam surgam, et balnea adhibebo; nam decumbens femina, ac nil, nisi caput, et brachia movens, difficulter menstruat. *I.* Credisne, te adhuc prolem ha-

bituram fore? *R.* Credo, sed numerum non possum determinare. Nunc Dr. BARANKIEWICZ aegrae interrogationem fecit. Nullum responsum. Rogavi tunc, ut mihi manum suam daret (alteram ego constanter ad regionem epigastricam tenebam). Interrogavit denuo: quis sum? *R.* Doctor BARANKIEWICZ (non viderat antea hunc medicum in cubiculum intrasse). Resumpsi tunc interrogationes egomet ipse. *I.* Quid habes super scrobiculum cordis? *R.* Aquam saccharatam. *I.* Quomodo id scis? *R.* Percipio sensum caloris humidi ab ea regione ad linguam ascendentis, quae mox leni dulcedine afficitur. *I.* Num grata est haec sensatio? *R.* Admodum: auget ea nonnihil febrem, sed hoc nil nocet, nam inde etiam ad loquendum excitor. *I.* Permittisne, me aliquid aliud scrobiculo cordis admovere? *R.* Permitto quidem, at nil aliud mihi tam gratum erit. *I.* Datur ne modus, ut te nunc ad videndum idoneam reddam? *R.* Debeo cogitare... utique... si tres hirudines vertici admoverentur, viderem, et fortasse etiam omnes audirem. Nunc jussi, ut removeretur linteum aqua saccharata imbutum. Protinus excitata est. Dormivisse se optime, ac grato somnio gavisam esse affirmabat. *I.* Quid habuisti super regionem epigastricam? *R.* Aliquid humidum. *I.* Quid? *R.* Nescio. Pulsus hodie frequentior, debilior.

Die 20 *maii.* Nox bona, dolor genu minor, immo pars ista attactum fert. Hora quarta pomeridiana catalepsis. Dum quis adstantium brachium, vel caput fortius movet, aegra eundem motum facit. Idem hoc accidit, dum quis in tertio cubiculo motum quemque de industria exercet. Si vero *manus* in poculum *vitreum* introducatur, brachium moveri potest, quin aegra simili motu respondeat. Applicita altera manu mea ad regionem epigastricam, altera ad caput, aegra excitabatur. Somniavit vero illico, adposita, ut heri, solutione saccharata regioni epigastricae, ac me tangente hanc regionem, et interrogante. Ab hac solutione repetiit ipsa loquendi facultatem, actionem illius, ut heri, explicando. Dixitque ultro, sibi solutionem sacchari idem praestare, quod aliis magnetismus animalis, quem vigil cognoscere se negabat. Sniadecki, Niszkowski, Mianowski, et Baerkmann aegram separatim interrogantes nullum responsum obtinuere. Quo primum vero mecum *catenam* manibus iniverant, cum dextram Sniadeckio dedissem, interrogationibus omnium respondebat, nominibusque designavit adstantes in ordine, quo stabant, aut sedebant, in eo solum errando (fortasse nomine magis, quam re), quod Niszkowskium sedentem, Mianowskium stantem diceret, dum prorsus contrarium agebatur. Quum manum meam sinis-

tram ab epigastrio removissem, nemini adstantium amplius respondebat: illa vero remissa, ut prius, iterum loquebatur. An interrogationes nostrae tibi incommodae sint? quaesivi. *R.* Immo vero me recreant; nam multum habeo de statu meo dicendum. *I.* Vis sponte cogitationes tuas enunciare, an interrogationes faciam? *R.* Facilius mihi est ad interrogata respondere. *I.* Dicas nobis, quo pacto in statum, in quo nunc versaris, incidis? *R.* Doloris vis me videndi, et audiendi facultate privat, unde mentis praesentiam amitto, quin ideae meae confusae sint. *I.* An solum scrobiculo cordis gustum, sonosque percipere potes? *R.* Gustum aquae saccharatae solum scrobiculo cordis percipio; sonos etiam capitis vertice audire possum. Ablato linteo saccharato a regione epigastrica, eoque aliis locis admoto, revera non respondebat amplius interrogationibus. Idem accidit, applicito ibi infuso corticis peruviani frigido. Interea *solutionem salis* super scrobiculum cordis imposuit Dr. Baerkmann, adjuvante Sniadecki. Continuavit loqui, sed facies prius serena paulo post severa facta est. Interrogavi tunc: num quid patiatur? *R.* Pondus magnum percipio ad scrobiculum cordis, cui incumbit aliquid, quod aegre fero, sed indicare nequeo. *I.* Quis tibi id regioni illi imposuit? *R.* Baerkmann adjuvante

SNIADECKI: verum magnas inde percipio molestias. Tum solutionem saccharatam epigastrio iterum admoveri curavi. *I. mea.* An melius te habes? *R.* Necdum omnino. *I.* Vis aquam saccharatam habere? *R.* Utique. *I.* An aquam magneticam? *R.* Non. *I.* Visne ipsam bibere? *R.* Non video vas, porrigatis cochlearia nonnulla coffeana. Appropinquato vix cochleari avide labiis obviam venit, ác deglutiit. *I.* Quid, melius nunc habes? *R.* Sic sane: ridiculum profecto est, rem nullius prorsus momenti posse tantum effectum praestare. *I.* Habeone pecuniam mecum? *R.* Metalla, ut argentum, et aurum in me non agunt (suggerente clam mihi SNIADECKIO). *I.* Quid maxime te afficit? Responsum nullum. *I.* Cur non respondes? *R.* Interrogationem tibi suggestam non intelligo. *I.* Quaenam res tibi molestiam afferunt? *R.* Dum homines brachia, aut caput movent, dumque pluma ex alis volatilium decerpta movetur. *I.* Quid vitrum? *R.* Bene id fero. *I.* Quid cera sigillatoria? *R.* (facie torva) Ah, eam ferre nequeo, in mille fragmenta eam rumpere vellem, (irata): sola ejus mentio jam me angit. *I.* Visne aquam saccharatam. *R.* Vellem equidem, nam male me sentio. *I.* Vis, ut cantemus? *R.* Bene. Nunc in consensum traxi cantatorem spadonem italicum, nomine TARQUINIO, qui curiositatis gratia

adstiterat, quin aegra eum videret, aut etiam sciret, eum Vilnae degere; per duos enim annos aberat, et reversus est ante mensem, morti proxima jam decumbente aegra. Cantavi simul cum eo initium sic dicti *Duetto*, ex opera *Debora e Sisara*. « *Al mio contento in seno.* » Aegrae vultus voluptatem exprimebat. *I.* An placuit tibi cantus noster? *R.* Admodum. *I.* Quis mecum cantavit? *R.* Possem id divinare. *I.* Quis igitur? *R.* TARQUINIO. *I.* An debemus iterum cantare? *R.* Valde optarim. Cantavimus tunc initium *Duetto* ex opera *Giulietta e Romeo*: « *Dunque mio bene.* » *I.* Noscis hunc cantum? *R.* Ex opera italica: verum nimis est tristis, meque magis melancholicam reddit. *I.* Visne cantum hilariorem? *R.* Rogo. Cantavit tunc TARQUINIO initium *Duetto* ex opera *La Molinara*: « *Nel cor più non mi sento brillar la gioventù* ». Jam vultus aegrae serenus factus est, ac ridens, capite nutans manibus mensuram dabat. Vix finito cantu, ipsa eandem melodiam cantavit: mox vero, italice quidem cantare nequeo, sed non erit male et polonice, dixit, tumque verba polonica spem sanationis declarantia melodiae illi adaptavit. Cum interea coelum ex sereno nubibus esset obtectum, maximaque pluvia caderet, interrogavi: quaenam est tempestas? *R.* Imber est maximus. *I.* Audisne illum caden-

tem? *R.* Minime, sed cognosco ex gravitate aëris. *I.* An bene esset fenestras aperiri? *R.* Circa meridiem, alias non. *I.* Quid ita? *R.* Fortior sum mane, nam post prandium dein in paroxysmum incido, sed jam defatigatam me sentio. *I.* Quo pacto excitare te possim? *R.* Per afflatum aëris super os vel ad nasum, loquendo super cervicem. *I.* Qualis modus gratior? *R.* Afflatus. Jussi tunc maritum aegram halitu suo afflare, unde mox subridens, menteque compos facta est. Interrogata nunc, an dormiverit, respondit: bene dormivi. *I.* Somniastine quid? *R.* Non credo me somniasse. *I.* Audivistine musicam? *R.* Minime vero. Noscisne TARQUINIO? *R.* Vidi eum ante sex annos. Consessui hodierno adstiterant praeterea duo medicinae Doctores, ABICHT, et MEYER.

Die 21 *maii.* Noctu somno tranquillo, et non interrupto usque in septimam matutinam dormivit. Hora decima accessu catalepseos abrepta jam cantus inchoabat suos: sed cum adveniens senex quidam, et baculum grandi globo metallico munitum ad ipsum lectum collocasset, protinus conticuit. Tum maritus baculum illum amovere, aegra autem post remotum manus extendere, erubescere, dentibus stridere, vultuque indignationem prodere, ut levi halitu excitari debuerit. Hora secunda pomeridiana, cum

odores succini forte incenderentur, mox animo linqui cepit, jactari, erubescere, angoresque significare magnos. Rursum halitu excitata, se magnam pectoris oppressionem pertulisse, ut pene morti esset proxima, asseruit. Brevi post linteum tenue acu pungebat: at confectis quatuor dentibus (dentata quippe erat delineatio linteo supposita), a sensibus secessit, oculisque trucibus, et palpebris immotis opus institutum prosequebatur, ut iterum quatuor dentes prioribus similes confecerit, eosque forfice omnino exsciderit: quanquam et oculi in alia prorsus objecta fixi erant, neque adstantium clam clamores percipiebat. Sponte experrecta provectum opus admodum mirabatur, ac sororem suam id effecisse perhibebat: neque enim se somno detentam acu pungere potuisse. In eodem hoc labore occupata hora quarta pomeridiana, cum ecstasi prehenderetur, rectissime tamen per aliquot temporis minuta suebat: at vero charta crassiore oculis praetensa mox palpebris clausis, facieque convulsa, et indignata linteum procul a se rejecit. Deinceps pacatior haec fere cantare coepit: « jamque mihi id opus intermittendum est, multa enim de sanitate mea cogitare debeo ». Tum vero, ingrediente viro quodam, quem sibi vigil odiosum esse ajebat, subito siluit, erubuit, dentesque

collisit. Hora sexta, recuperato sensuum usu, inconsueta quadam hilaritate de multis lepide cum adstantibus sibi loquebatur continuo fere irridens. Exacto horae dimidio in catalepsin relapsa est. Tunc Doctor BAERKMANN, altera manu epigastrio, altera capiti aegrae admota, ita eam allocutus est. Ecquid nunc meditaris? Post moram aliquam voce humili, et cum difficultate quadam retulit: cogito, quid contra morbum meum optime profuturum sit. *I.* Idne jam intelligis? *R.* Equidem tibi bene referre nequeo, cum saccharum non sit in epigastrio positum. *I.* Illudne desideras? *R.* Et maxime quidem; protinus enim exhilarabor, et promptius, et facilius loquar. Cum linteolum plicatum solutione sacchari intinctum epigastrio appositum esset, mox hilaritas, et oblectatio quaedam ex vultus habitu eminuit. *I.* Idne jucundum tibi est? *R.* Jucundissimum sane: sed admove etiam pollicem tuum linteolo, si vis me facilius loqui. Admoto digito ad epigastrium interrogavit: Ecquid nunc sentis? *R.* Calorem sentio auctum, saporemque dulcem. Nunc interroga. *I.* Num calores rerum epigastrio appositarum discernere posses? *R.* Forsitan possem. *I.* Num etiam librum illi admotum legere? *R.* Perdifficile id sane. *I.* Vel certe litteras aliquot grandes dignoscere? *R.* Neque id sine magna

virium contentione fieri potest. *I.* Permittisne id experiri? Tunc responsi loco facies rubore suffundi coepit, et indignationem prae se ferre; dentes autem collidi, et fremere. *I.* Appetisne aquam saccharatam? *R.* Appeto, sed parvulum cochlear solum. *I.* Num etiam cibos? *R.* Belle appeto. *I.* Quid tandem expeteres? *R.* Caseum, panem cum butyro recenti, et cerevisiam. *I.* Num e somno excitari velles? *R.* Vero, quia fame conficior. *I.* Quomodo excitare te possem? *R.* Halitum tuum cominus mihi affla: nam si id eminus fieret, de lecto me levare debuissem. Experrecta praeteritorum minime recordabatur.

Die 22 maii. Post noctem inquietam mane conscia lacrymabatur. E vulneribus pedum nil effluit. Hora quarta pomeridiana in catalepsin incidit. Duos ecstaseos paroxysmos tum experta est cum cantu. Hora quinta inveni aegram simpliciter catalepticam, facie solito tristiori, praesentibus Dr. BARANKIEWICZ, et BAERKMANN. Illico frustulum *panni scarlati*, quod insciis omnibus mecum adtuleram, sacchari solutione imbui, ac super regionem epigastricam applicavi, eique superimposita manu sinistra ita cum aegra colloquebar. *I.* Videris mihi solito tristior. *R.* Sum revera tristior. *I.* Cur? *R.* Multum patior, nam materies e cruribus fluere omnino cessavit. *I.* Quid igitur faciendum? *R.* Novae

faciendae sunt incisiones. *I.* Ubinam? *R.* Infra loca jam sauciata. *I.* Quid habes super scrobiculum cordis? *R.* Saccharum, a quo loquendi facultatem accipio. *I.* Quid etiam? *R.* Aquam. *I.* Quid praeterea? *R.* Lintei frustulum. *I.* Cujusnam coloris? *R.* Albidi. *I.* Certe? *R.* Non video, sed mihi ita cogitatione fingo. *I.* An interrogationes meas omnino verbis exponere debeo, an vero posses eas mente mea adhuc inclusas intelligere. *R.* Longe facilius mihi est, si eas verbis exprimis. *I.* Permittisne, ut unam tantum interrogationem mente faciam? *R.* Domine! status meus jam non diu durabit. Ad tantam mentis contentionem sustinendam impar fio. Ideae meae invicem confundi incipiunt. Venae capitis tensae sunt, et nisi cito occurratur, unius earum ruptio imminet, quo facto maniaca fiam sine spe mentis unquam recuperandae. Quid tum commodi habebit vita miserae mihi, nam victura sum, sed maniaca! Sic sub somnio noctis elapsae aliquis retulit mihi. *I.* Quisnam? *R.* Spiritus quidam. *I.* Quid dixit? *R.* Dixit: quid facis? Credisne te posse hoc in statu diu versari? Minime, sed implora promptum auxilium: alioquin stulta fies. *I.* Quid ad impediendum tantum malum requiritur? *R.* Applicandae mihi sunt tres hirudines ex utroque verticis latere. *I.* Quando id? *R.* Crastina die hora

decima matutina. *I.* Quamdiu sanguis dein effluat necesse est? *R.* Si largo flumine fluat, per horam tantum: alias per duas horas. *I.* Non debilitaberis inde? *R.* Minime. *I.* Incisio cruris eritne hac ipsa die facienda? *R.* Nequaquam: nam licet non debilitabor multum ab hirudinibus, tamen semper aliquid: unde melius erit incisionem ad sequentem diem remittere. *I.* Facta incisione quid tum postea? *R.* Effluente materia, tumor imminuetur, et tunc unguento locus erit. *I.* Quis hoc unguentum praescribere debeat, an SNIADECKI, NISZKOWSKI, aut FRANK? *R.* Idem est, utervis, dummodo salutare sit. *I.* Nonne liceret materiam illam per urinam evacuare? *R.* Jam id tentare voluerunt (revera diuretica ab initio morbi me suadente adhibita fuere), at incassum, nam materia fixa est, et tenax. *I.* An recordaris, dum cantas? *R.* Recordor, cantus me sublevat: status, in quo sum, nimis violentus est, diu non durabit sine confusione idearum (revera toto capite sudabat). *I.* An toto cerebro, an tantum parte eius cogitas? *R.* Toto vero, et multum defatigor. *I.* An te excitare debeo? *R.* Utique bonum erit tristes quodammodo meas discutere ideas. *I.* An experrecta non amplius in praesentem statum incides? *R.* Si quis mecum loquetur, minime incidam. Per afflatum tunc aegram illico excitavi.

Primus motus fuit sudorem strophiolo abstergere. Interrogationes ad vigilem. *I.* Dormivisti. *R.* Ita, sed somno gravi. *I.* Somniasti? *R.* Non recordor. *I.* Somniastine nocte elapsa? *R.* Sic videtur, sed etiam oblita sum. *I.* Cur es tam tristis? *R.* Multum patior. Hodie mane pro prima vice magnam vertiginem perpessa sum. Materies plane fluere cessavit. Tum de hirudinibus applicandis, de crurum incisione facienda locutus sum, ac aegra curiose quaesivit, quantus earum numeru esse debeat, et cuinam loco sint applicandae. Aegrae animum spe proximae sanationis recreare conatus sum, ac reipsa miseram magis serenam dereliqui.

Die 23 *maii.* Vix aegra hesterna die sola fuerat, cum, praevia vertigine, in delirium incidit, sub quo marito, et adstantibus vim inferre conabatur. Dein turbatior facta in statu somniationis omnino spontaneae repetitis vicibus dixit: « nisi mihi illico, et ante solis occasum hirudines applicabuntur, in aeternum perdita ero ». Post meditationem: « monui quidem hirudines crastina die hora decima applicandas esse, at erravi; nunc enim percipio, ante solis adhuc occasum adhibendas esse ». Hirudinibus adportatis, et ad verticem positis, aegra semper quaerebat, utrum sol adhuc super horizontem sit. Cum id affirmaretur, gratula-

batur sibi, et quietior evasit. Hirudines per horae curriculum sat multum sanguinis detraxerunt. Nox non fuit optima. Mane tamen serena erat, asserens, caput nunquam ita liberum fuisse, quam hodierna die. Hora quinta pomeridiana aegram invisens, eam omnino, si unquam, serenam, mentisque plane compotem inveni, idemque invenerunt Sniadecki, Niszkowski, Barankiewicz, et Baerkmann. Oculi, et pulsus praecipue in melius mutati erant. Crurum tumor, tensio, et dolor sub attactu multum imminuta fuere. Aegra ab hirudinibus nequaquam debilitata in usu corticis pergebat.

A die 24 ad 30 *maii.* Nullus paroxysmus: facies, et omnia in melius mutata, praeter pulsum ad 130. Plurimae incisiones ad crura factae erant, unde serum copiosum manabat. Die 31 maii, praevia lipothymia, paroxysmus catalepseos simplicis ad horam dimidiam protractus ingruit, sponteque evanuit. Ab ea die usque ad 12 junii res quotidie in melius procedebat. Fonticuli cruribus admoventur. Effluit inde serum multum, quin tamen crura multum detumeant Interea vires crescunt, aegra obesior evadit, ac de sorte sua gratulatur. Die decima quarta augusti, praeviis febre, et vomitu erysipelas crurum apparuit sensim sensimque usque ad pedes migrans, ac tumoris maximam partem dispellens

sequebantur catamenia, quibus rite absolutis, aegra, excepto rigore genuum gressum impediente, in integrum convaluit, ac hodiedum adhuc (die 30 maii 1817) laeta floret.

Caput XV.

NOTIONES PRAEPARATORIAE AD TRACTATUM DE VESANIIS.

§. LXIII.

DE ARGUMENTO GENERATIM.

Propositum.

1. Doctrinae morborum systematis nervosi obscurissimam partem, *vesanias* videlicet aggressuri contra difficultates hic obvenientes nos non satis munire posse, existimamus. Quamobrem descriptioni morborum huc spectantium, nimirum *hallucinationum*, et *maniarum* notiones nonnullas praeparatorias praemittere utile censemus. Notiones istas lucem quamdam, et super capitum praecedentium obscurissimam partem (quippe quae somniorum, incubi, somnambulismi, somniationis, ecstaseos, et cata-

lepseos caussas proximas respicit) sparsuras esse speramus; nam ubi de caussis proximis istiusmodi morborum egimus, consulto observationes plurimas silentio praeterivimus timentes, ne, si absque nexu cum reliquis notionibus (de quibus ibi disserere absurdum fuisset) traderentur, nimis hypotheticae videri potuissent. Est igitur caput hoc *episodion*, quod tum *complementum* partis doctrinae jam traditae, tum *introductionem* ad partem adhuc tradendam exhibet, in *breve examen physiologico-pathologicum actionis sensuum*, et *facultatum animi* sine fuco exponitur.

Monitum.

2. Argumentum tam grave, atque *psycologiae*, et *philosophiae morali* necessario alligatum ad trutinam breviter revocaturi, a speculationibus metaphysicis, quoadusque fieri potest, abstinebimus experientiam, cui, duce sensu communi, praeeunte cl. Crichtonio (59), aliisque addicti sumus unice consectantes.

Observationes generales.

3. *Sensus* recipiendis impressionibus destinantur. Praeter sensus quinque externos unus internus *universalis* admittendus est (60). Re-

(59) Opere saepius citato.

(60) Cap. I. §. III. 22.

ceptae a sensibus impressiones *per nervos proprios* cerebro communicantur. *Cerebrum* facultate allatas impressiones recipiendi pollet. Dum cerebrum hac facultate utitur, *attentionem* exercet. Adhibita attentione fit, ut impressiones sensuum, et nervorum ope receptae, in cerebro *imagines* objectis, quae super sensus egerunt, respondentes excitent, vel aliis verbis, ut cerebrum imagines receptas sibi ipsi repraesentet. Imagines istae *ideae*, aliquando *notiones* vocantur. Ex ideis tum a sensibus externis, tum a sensu interno universali ortis *conscii* fimus, id est situm nostrum relate ad res externas, et conditionem nostram cognoscimus. In cerebro praeterea facultates resident: 1.° ideas receptas et absente objecto, quod eas excitavit, revocandi (*memoria*): 2.° ex ideis receptis novas ideas generandi, (*imaginatio*): et 3.° ideas separandi, conjungendi, comparandi, earumque differentias eruendi, determinandique (*ratiocinium*, et illius effectus *judicium*). Quae singulae facultates simul sumptae nomine *intellectus*, sive *ingenii* salutantur. Exercitium eorum novis impressionibus ansam praebet. Singulae autem impressiones sive a sensibus, sive a facultatum intellectualium exercitio profectae *modo* vel *grato*, vel *ingrato* corpus afficiunt. Oritur inde aut *voluptas*, aut *molestia*. Illa *appetitus*

haec *aversationes* generat. Appetitus, et aversationes expletae, aut non expletae *affectus* excitant gratos, aut ingratos. Affectus grati *delectationem*, affectus ingrati *fastidium* producunt. Ex affectibus istis, concurrentibus attentione, et imaginatione, *animi pathemata* evolvuntur. Dividi ea solent *in excitantia*, *deprimentia*, et *mixta*. Animi pathemata, et judicium vim excitare valent, qua imperante plurimae corporis humani partes ad motum impelluntur: dicitur ea vis *voluntas*. Et aliae caussae magis materiales, inscio fere intellectu, varias partes ad motum excitant, quod *instinctui* tribuitur. De singulis speciatim.

§. LXIV.

DE SENSIBUS, DE ATTENTIONE, ET DE PERCEPTIONIBUS.

Sensus.

1. Laesa *sensuum* functione, impressiones vel nullae, vel nimiae, vel contra normam recipiuntur. Cerebrum inde vel nullas perceptiones accipit, vel a perceptionum numero obruitur, vel perceptionum erronearum praeda fit. Hae, dum solum *ab uno*, *alterove sensu* veniunt, *hallucinationem* quidem inducunt, at, ceteris

sensibus sanis, facile pro falsis agnoscuntur, ac mente ceterum sana corriguntur. Hallucinationes maniacorum in sensu auditus longe frequentiores sunt, quam eae visus. Cavendum autem est, ne phantasmata imaginationis in sensibus sese exserentia hallucinationi sensuum ipsorum adscribamus (61). Communissima

(61) Miror cl. Esquirol (*Gazette de santé*, Nov. 1814), ex una auditus hallucinatione nisum aegroti cujusdam ad suicidium repetiisse; fertur enim aegrum hunc continuo voces audivisse eum ad vitae suae destructionem invitantes. Quia autem non videt, hic imaginationem praecipue laesam fuisse, et forte *pabulum* in sensus auditus laesione invenisse. Tale exemplum et mea suggerit experientia. Anno 1815 in clinico Vilnensi vir decumbebat mania phantastica laborans. Exhibebat ipse hinc inde intervalla sat lucida, sub quorum curriculo *aurium susurrum valde molestum* incusare erat solitus. Quo primum autem pejus se habere, et delirare incipiebat, illico se angelorum voces, campanarumque pulsationes audire asserebat. Nonne hic imaginatio laesa in morbosa sensus affectione alimentum invenit, huicque typum suum impressit? Ita sane; nam cum auribus aliquot olei hyoscyami guttas infundi curassem, de vocibus, et sonis illis amplius non querebatur. Contra vero, cum paulo post ventriculus magnis tartari emetici dosibus, ut vomendi conatus testabantur, vehementer irritaretur, aeger asseruit, se angelum in stomacho habere suadentem, ne medicamenta, venenum scilicet continentia sumeret. Remoto tartaro emetico, exhibitisque remediis mucilaginosis, aeger iterum siluit.

hallucinatio sensibus auditus, visus, et tactus propria ea est, qua res, quae diutius istos in sensus egerunt, etiamsi remotae, adhuc agere videntur. Quodsi vero omnes sensus laedantur, tunc cerebrum undique perceptionibus erroneis obruitur, ac cum instrumenta, quorum ope eae corrigantur, alienata sint, perceptiones falsae pro realibus habentur; nam si dederis etiam, quod perversis sensibus omnibus, judicium, memoria, et imaginatio illaesa manere possint, materiae, quibus hae animi facultates utuntur, nimis corruptae forent, ut quid boni ex iis fabricari liceret. *Caussa* sensus citra vitia structurae manifesta laedens quaeri solet in *sensibilitate morbosa* nervorum iis dicatorum, vel ubi in ipsis sensuum instrumentis expanduntur, vel ubi communicationem inter haec, et cerebrum sustinent. Ac re quidem vera de plurimis phaenomenis optime sic ratio redditur. Eritne enim sensibilitas partium indicatarum *aucta*? Ecce aeger, qui lucem, colorem album, rubrum, sonos fortes, rumorem, odores aromaticos, cibos conditos, temperaturam calidam, vestes graves, verbo impressiones vehementes respuit, ac contra obscuritatem, colores fuscos, silentium, res foetidas, alimenta insipida, gelu, nuditatem quaerit. Eritne sensibilitas organorum sensus, nervorumque *imminuta*? Ecce aeger radiis solari-

bus, rumore, clamore, errhinis, cibis irritantibus, igne delectatus, et opposita cane et angue magis effugiens. Tandem eritne sensibilitas organorum illorum *perversa*? En res, quae sanis intolerabiles sunt, aegro gratae evadunt. Nil hinc mirum, si ille summa cum voluptate torqueri homines et bruta adspiciat, vagitus, et ejulatus eorum dulcissimae harmoniae anteponat, faeces naribus admoveat, propriumque corpus dilaceret, mutiletque. Nec satis. Saepe accidit, ut, aucta sensibilitate unius sensus, reliqui vitio opposito peccent, et vice versa. Quanta inde impressionum diversitas, oppositio, confusio oriri debeat, sponte intelligitur. Cum vero de vitiis sensuum in specie loqui haud liceat, quin de morbis prius agatur, a quibus organa unicuique sensui dicata affici solent, consultum credidimus de perceptionibus morbosis, quatenus a specialibus sensibus proficiscuntur, ibi sermonem instituere, ubi de morbis oculorum, aurium, cavitatum nasalium, et oris quaestio erit; vitiorum enim tactus doctrina jam tradita est (*), illaque laesionis sensus interni universalis in capite de hypochondriasi exponetur.

(*) P. I. Vol. II. Cap. XXXIX.

Attentio.

2. Impressiones super sensus factae, aut objecta a memoria, vel imaginatione suggesta non percipiuntur, nisi prius *attentio* in ea figatur. Attentio majori in gradu in plurima objecta simul figi vix potest, unde dictum: « pluribus intentus minor est ad singula sensus. » Attentio, quae super objecta a sensibus oblata exercetur, *observatio* dicitur; quae vero in res a memoria, vel imaginatione exhibitas dirigitur, *meditationis* nomen obtinet. Facile hinc intelligitur, cur aeger in *ecstasi*, et *catalepsi* attentus in res ab imaginatione snggestas impressiones externas non percipiat. Ecstasis hoc sub respectu cum catalepsi conveniens differt ab illa quoad *voluntatem*, quippe quae in ecstasi varias partes ad motum excitat, in catalepsi autem plane suspenditur. Accedit ad dictos morbos phaenomenon *distractio animi* (62) dictum, de quo tot exstant singulares narrationes (63); tali enim in vitio attentio objecto cuidam ab imaginatione, memoria, aut judicio suggesto

(62) *Gall.* distraction. *Germ.* Zerstrenung.

(63) *Lettres de M.me* De Sévigné. *Vol. I. lettr.* 28. p. 199. *lettr.* 100. p. 239, ubi de duce Brancas mentio fit. Cfr. La-Bruyere artic. *Le portrait du distrait* (*oeuvres*) et Regnard: *Le distrait*, *comédie en vers.* (*Oeuvres* T. 2.).

omnino incumbit ita, ut impressiones externae vix, ac ne vix quidem percipiantur, unde voluntas (saepe et solus instinctus) actiones inducit, quae rerum hominem circumdantium positioni minime quadrant. In morbis soporosis, ut *apoplexia*, et *cataphora* pro re nata cerebrum vel nullas accipit perceptiones, vel attentionem figere nequit. Praeterea quovis in homine sive sano, sive aegroto attentio peculiares habet *affinitates*. Quae, nisi apprime eruatur, quibus muneribus exercendis homo magis sit idoneus, haud determinabitur. Postremo *attentio et propriis vitiis subjicitur*. Spectant huc impotentia illam in unum objectum figendi: facilitas, qua fixa a levissima caussa divertitur: et ejusdem absorptio ab uno objecto cum reliquorum detrimento. Ad *caussas attentionem labefactantes* revocari praecipue solent debilitas, quae vel ex neglecto hujusmodi facultatis exercitio, vel ex illius abusu, nimiaque exercitatione, vel ex morbis praegressis oritur. Negligitur exercitium attentionis a divitibus, qui nunquam, quid inopia (maximus attentionis stimulus) sit, noverunt: item a prava educatione, quâ infantes ad debitam attentionem praestandam non adiguntur, nec non a mala consuetudine attentionem nulli determinato objecto exclusive applicandi. Juvenum attentionem nimis intendunt

parentes, et institutores, qui illos praeter modum ad studia cogunt, vel diu nimis in *uno*, *eodemque* objecto detinent (64), vel eos ad objecta, cum quibus attentio nullam affinitatem habet, adstringunt. Ad morbos *attentioni* infensos pertinent febres, cephalalgia, encephalitis, apoplexia, haemorrhagiae, diarrhoeae diuturnae, repletio ventriculi nimia (65), hysteria, et *hy-*

(64) In doctrinarum universitatibus, ubi professoribus in genere praescriptum est cujusvis hebdomadis spatio per sex horas legere, plurimi id *commodi* inveniunt, non quotidie per unius horae curriculum, sed quater solum de hebdomade per horam unam cum dimidia docere. Defatigatur sic attentio auditorum, quae vix ultra horam uni eidemque objecto applicari potest, quin dicam de difficultate, quae hyemali praesertim tempore, ubi dies tam breves sunt, in dispositione lectionum ad horam unam cum dimidia protractarum oritur, aut de ea, quae perceptionem soni horologiorum dimidium horae indicantium respicit.

(65) Vel citra morbum repletio ventriculi impotentiam attentionis secum trahit. Pessimum hinc est, quod in scholis, et universitatibus, ubi aliquando plus commodis professorum, quam utilitati studiosae juventutis prospicitur, horae pro praelectionibus saepe ita disponuntur, ut discipuli vix terminato pastu scholam adire debeant, eo fine, ut magister tempus prandii sumendi post lectionem inveniat. Nil progressibus in studiis, et sanitati commilitonum magis infensum! Lex igitur academica requiritur, cujus ope temporis spatium a meridie ad horam secundam pomeridianam liberum relinquatur.

pochondriasis, quo in morbo, ut palam fiet, attentio plane ad proprii corporis conditionem dirigitur.

Perceptiones.

5. *Facultas*, qua impressiones super sensus factas, cerebro communicatas, deducta in auxilium attentione, *percipimus*, nobisque inde *imagines praesentamus*, basin reliquarum animi facultatum sistit. Enimvero sine ideis nec memoria, nec imaginatio, nec judicium exstant. Tali in casu hinc homo brutis inferior est, et solo instinctu, eoque saepe laeso regitur. Praeterea, perverso perceptionis, et formationis idearum opere, sensibus licet optime valentibus, *hallucinationibus*, et *maniis* via patula est. *Hallucinamur*, quoties ideas objectis haud respondentes concipimus. *Mania* corripimur, quoties ideas erroneas pro realibus agnoscimus, et secundum tales ideas agimus. Impediunt perceptiones, et formationem idearum (praeter vitia sensuum, nervorum, qui inter sensus, et cerebrum communicationem sustinent, et defectum attentionis): 1.° objectorum rapida nimis successio (e. c. in *vertigine*): 2.° objectorum fortis admodum impressio (e. c. per animi pathemata): 3.° res affluxum sanguinis ad encephalum promoventes (e. c. liquores fer-

mentati, febres): 4.° venena sensibilitatem cerebri obtundentia: et 5.° vitia cranii, meningum, cerebri a prava structura, a violentiis externis, a processu inflammatorio orta.

§. LXV.

DE MEMORIA, DE IMAGINATIONE, ET DE JUDICIO.

Memoria.

1. *Memoria* respicit verba, res, et loca. Obedit aut nutu voluntatis, vel sponte nobis etiam nolentibus excitatur. Utroque in casu memoria adsociationi idearum (66) originem debet. Junguntur autem ideae inter se vel cum animi pathematibus, vel cum impressionibus externis, etiamsi vix aut ne vix quidem perceptibilibus (67), vel cum motibus corporis. Ad caussas, quae ideas inter se jungere solent, spectant

(66) DARWIN op. c. et CRICHTON l. c. cum eorum solita sagacitate opiniones HUME, STEWART, aliorumque analysi submittentes.

(67) Sic hominis absentis cujusdam idea se aliquando sponte memoriae exhibet, cum homo paulo post ipse compareat. Verisimiliter hic effluvia illius inscie agentia respondentem individuo ideam clam excitarunt.

actio simultanea objectorum in plures sensus (68), relationes, quae inter caussas, et effectus animadvertuntur (69), rerumque tum similitudines, et dissimilitudines (70). Facultas, qua anima pollet ideas socias inter se separandi, ac novas adsociationes ad libitum creandi, *abstractio* dicitur, doctrinarum fundamentum. Quo pacto memoria generetur, utrum per impressiones in cerebri substantia relictas, credentibus Locke, Hook, et Haller (71), an modo minus materiali, ut suspicamur, ignoramus. Memoriae jacturae integrum dicabitur caput (72).

Imaginatio.

2. *Imaginatio* vel *voluntaria*, vel *involuntaria* est. Utraque effectum facultatis animi

(68) E. g. adspicio Romae imaginem pictam, quam Parisiis olim videram. En illico et locus, ubi imago ista Parisiis affixa erat, et homines, in quorum societate eam videram etc., memoriae sese exhibent meae.

(69) Sic punctorium ideam doloris excitat.

(70) Ad Croesum vix cogitatur, quin Irus in mentem veniat. Maniaci inprimis adsociationibus ex dissimilitudinibus ortis indulgent.

(71) « Eas mutationes in sensorio conservatas *ideas* multi, nos *vestigia rerum* vocabimus, quae non in mente, sed in ipso corpore, et in medulla quidem cerebri ineffabili modo incredibiliter *minutis notis* et copia infinita inscriptae sunt »

(72) Cap. XVIII. de amnesia.

sibi imagines receptas varia sub forma repraesentandi sistit. *Imaginatio voluntaria* apud poëtas, litteratos etc. maxime obvia summam exercitii variarum animi facultatem sistit. *Imaginatio involuntaria* progenies est animi pathematum, caloris febrilis, aliorumque morborum. Quoties impressio, quae ab ideis per imaginationem suggestis oritur, impressionem, quae a rebus in sensus agentibus proficiscitur, vi superat, toties imaginationis phantasmata pro realibus habentur. Acquirunt autem ideae ab imaginatione suggestae vim, quae impressionem a rebus externis provenientem excedit, si ideae illae crebro repetantur, si ab animi pathematibus foveantur, si sensus parum exerceantur, sique objecta ad eos excitandos idonea desint. En cur mendaces fictionibus suis tandem ipsi fidem adhibent; ac homines imaginationem continuo exercentes quam maxime ad manias dispositi sunt; en cur animi pathemata viam ad manias sternant, quin immo majori in gradu maniam quandoque constituant; en cur obscuritas, et solitudo plurimis deliriorum speciebus faveant. Verum imaginationis exaltatio eo minus timenda erit, quo magis illi *judicium* aequilibrium tenet; tali enim ex aequilibrio, ambabus facultatibus ceterum excellentibus, *ingenium* oritur.

Judicium.

3. *Judicium* exercetur: 1.° comparando inter se perceptiones ab objectis externis excitatas, e. c. si quis numerum, magnitudinem, pondus etc. objectorum praesentium determinet: 2.° comparando perceptiones, quae ab objectis externis praesentibus veniunt cum ideis, et opinionibus, quae jampridem acquisitae erant, e. c. si quis judicium de aedificio coram oculos versante relate ad alia aedificia quondam visa ferat: 3.° comparando inter se ideas, et opiniones jam dudum acceptas, et stabilitas, e. c. in quaestionibus metaphysicis, et philosophiae moralis: et 4.° comparationes variis his modis inter se perficiendo, e. c. ut medicus facit, qui praesentem aegri statum cum observationibus de aliis aegrotis simili morbo adfectis, jamdudum collectis comparat, ac inde non solum de natura morbi, quem pertractat, sed etiam de illius probabili exitu judicat. *Judicium* enim *futuri*, quod si enuncietur, *praedictionem* constituit, plane experientiae praeteritorum innititur, ac verum sapientiae sistit characterem. Excipi forte possent praedictiones, quae existentiam nostram respiciunt (*praesagia animi* (73) sic dicta), quippe quae effectus esse

(73) *Gall.* Pressentiment. *Germ.* Ahnungen. Exempla hominum morbos, et mortem proximam accurate praedicentium

videntur perceptionem insolitarum, atque obscurarum, ex laesa viscerum functionibus vitalibus dicatorum (cerebri, cordis, pulmonum), vel nervorum (inprimis plexus coeliaci) actione proficiscentium. Qualecunque autem sit judicium, quod de rebus sive praeteritis, sive praesentibus sive futuris fertur, semper ex *perceptione similitudinum, et dissimilitudinum* duarum, aut plurimarum notionum emerget. Facultas talem similitudinem aut dissimilitudinem percipiendi, quatenus notiones generales, et abstractas respicit, *ratio* dicitur. Constituit ea pretiosissimum, ac incomparabilem generis humani thesaurum (74). Ratio enim est, qua res cognoscimus; ratio, qua intelligimus, omnia capimus; ratio, qua aeternae beatitudinis cupiditatem, insatiabilemque scientiarum appetitum persentiscimus; ratio denique est, qua infinitis bonis fruimur. Illius usu amisso, homo desinit homo esse. Usu dicimus *amisso*, nam rationem ipsam aegrotare posse negamus. Vis quidem judicandi in homine sana mente praedito, et in maniaco diversa videtur, at re ipsa eadem plane est. Differunt enim judicia so-

copiosa nimis collegi, ut animi hujusmodi praesagiis ab imaginationis effectibus probe distinguendis fidem recusarem.

(74) Brutorum judicia ad res externas, et objecta specialia circumscripta sunt, nullum autem eorum exstat, quod conclusiones logicas, aut notiones abstractas concipere possit.

lum ob id, quod perceptiones maniaci, utpote cerebro, et nervis laesis praediti, a perceptionibus sani hominis discrepant, qua de caussa uterque diversas conclusiones facere cogitur. Illustrabuntur haec omnia magis magisque in capitibus de *delirio*, *ebrietate*, *paraphrosyne a venenis*, et *maniis*.

§. LXVI.

DE FONTIBUS VOLUPTATIS, ET MOLESTIAE, APPETITUS, ET AVERSATIONIS, NEC NON DE AFFECTIBUS.

Fontes voluptatis et molestiae.

1. Conservatio individui sui, propagatio suae speciei, et cura sobolis, quibus generis humani innititur existentia, aliter obtineri haud potuissent, nisi homo ad res, quae naturae scopo respondent, sibi procurandas, et adversas fugiendas, per voluptatis, et molestia sensum impelleretur. Excitant autem *voluptatem* impressio alimentorum in organa gustus, respiratio atmosphaerae purae, actio temperaturae modicae, exoneratio materiarum excernendarum, corporis motus, quies post defatigationem, levamen dolorum etc. Procreant *molestiam* fames, et sitis, impedimenta respirationis, temperatura frigida, calidissima, retentio materiarum excernen-

darum, inertia, defatigatio, laesiones externae etc.

Fontes appetitus, et aversationis.

2. Voluptas *appetitum*, et molestia *aversationem* generat. In appetitu quid grati, in aversatione quid ingrati praevidemus. Afficimur inde opposito plane modo.

Affectus.

3. *Affectus* igitur est sensus sive gratus, sive ingratus, qui expletionem appetituum, et aversationum comitatur. Affectus ab appetitibus, et aversationibus in eo differunt, quod *appetitus*, et *aversationes* solum in ea corporis parte, unde originem ducunt, percipiuntur, e. c. fames, et anorexia in ventriculo: *affectus* autem in universo corpore, et praecipue in cordis regione persentiuntur. Est enim *cor* veluti praecipua affectuum sedes; unde vulgus non immerito de *gaudio*, et *moerore* cor afficientibus, vel de *indole cordis bona*, et *mala* loquitur. Affectus eo vividiores sunt, quo major occurrit systematis nervosi sentiendi facultas. In genere ex systematis nervosi, et sensuum conditionibus abnormibus, fontes morbosi voluptatis, et molestiae, appetitus, et aversationis, nec non affectuum conjectura saltem attingi possunt. De *appetitibus, et aversationibus mor-*

bosis, quas SAUVAGESIUS nomine *morositatum* comprehendit (*), iis in locis, ubi de morbis viscerum, ex quibus proficiscuntur, quaestio fiet, mentionem passim injiciemus.

§. LXVII.

DE ANIMI PATHEMATIBUS, ET DE VOLUNTATE.

Animi pathemata.

1. Affectus vehementes attentionem omnino absorbent, ac ab objectis, quae cum affectu nullum agnoscunt nexum, declinant. Frangitur inde judicium, utpote quod sine analysi aequali idearum, et attentione jussui ejus subdita, rite existere nequit. Quo magis autem judicium frangitur, eo magis imaginatio caput attollit. Obruitur inde animus cohorte imaginum cum affectu cohaerentium. Status talis violentus sensorii communis *animi pathema* dicitur. Universum inde in consensum trahitur corpus.

(*) T. IV. p. 309. Ordo secundus. « Morosus est ille, qui sine ratione quidpiam constanter appetit, quod ipsi bonum reale non est, aut aversatur quod malum apparens est tantummodo, licet realiter bonum sit. » Ad morositates tantum [illegible] *picam* (*appétit dépravé*), *bulimiam* (*faim ca-[illegible]e*), *polydipsiam* (*soif excessive*), *satyriasin*, *nymphomaniam*, *et antipathiam*; limites latiores concedit SAUVAGES.

Definimus igitur animi pathema per eam conditionem, in qua affectus attentionem cum detrimento judicii, et exaltatione imaginationis absorbet, universo simul in consensum tracto corpore. Animi pathemata generatim in temperaturam corporis, nervos, arterias, et venas maxime influunt. Praeterea quodvis eorum peculiarem cum quibusdam visceribus agnoscit affinitatem. Sic speciatim afficiunt *timor* tubum intestinalem, et renes: *moeror* ventriculum, et glandulas lacrymales: *ira* hepar, et cystidem felleam: *amor* partes genitales: *terror* musculos imperio voluntatis subditos. Ut morbos speciales sufficiat considerare *moerorem profundum*, *iram effrenam*, et *amorem insanum*.

Animadversio.

2. Ab animi pathematibus non satis separari solent *conditiones nonnullae morales*, quae sensum voluptatis, aut molestiae *superioris ordinis* excitant. Fit inde, ut animi pathematibus excitantibus, et voluptatibus spiritualibus adscribantur gaudium ex rebus, aut actionibus praegressis ortum (*animi securitas*, seu *animus suis rebus contentus*): gaudium anticipatum (*spes*), voluptas veniens ex desiderio pro bono hominis, a quo beneficia accepimus: quid operandi (*gratus animus*, *beneficiorum*

memor) amoenus sensus, quem ex eo percipimus, dum aliis succurrere prompti sumus (*commiseratio*), et jucunda perceptio, qua afficimur qualitates eminentes hominis cujusdam considerando (*aestimatio*, *admiratio*, *amor platonicus*). *Animi pathematibus deprimentibus*, et *molestiis spiritualibus* adnumerantur: moeror ex actionibus nostris veniens (*pudor*, *poenitentia*, *morsus conscientiae*): moeror anticipatus (*sollicitudo*, *anxia expectatio*), sensus ingratus ab aliorum pravis qualitatibus ortus (*contentus*, *odium*): molestia ab injuriarum perceptione (*ira*), aut ex aliorum felicitate veniens (*invidia*, *zelotypia*). *Animi pathematibus mixtis* conatus injurias vindicandi (*ultio*) adjungitur.

Voluntas.

3. Animi pathemata, res, quae voluptatis, aut molestiae perceptionem excitant, nonnullaque judicia, et conclusiones, quae ex idearum comparatione emergunt, eam animi facultatem excitare solent, quae *voluntas* dicitur, cujusque nutu plurimae corporis partes (organa voluntatis imperio subdita) ad motum impelluntur. Patet hinc, re ipsa motum voluntarium ab appetitu, et aversatione determinari. Ast hoc non est tam materialiter intelligendum; ratio enim

ita voluntatis imperium firmare potest, ut partes tali imperio subditae neque voluntatis, neque doloris imperio obediant. Qua de re animi constantia, qua homines casti veneri illicitae resistunt, aut martyres cruciatus, aegri imbelles operationes chirurgicas, et delinquentes quaestionem sustinere valent, testatur. Falsum igitur est, homines mente sana, eaque praeceptis religionis, et officiorum, ut decet, munita sistere automata attractioni voluptatis, repulsuique molestiae obtemperantia, quae nefanda opinio, suffragio potissimum medicorum suffulta, quatenus ad negandam *actionum libertatem* ducit, mala peste longe graviora societati intulit. Interea liberum voluntatis exercitium in *consuetudinis legibus* hostem dirissimum agnoscit. Quoties enim ob educationis defectum, aut alias caussas necdum satis intellectas malae contrahuntur consuetudines, fieri potest, ut motus voluntarii mechanice legi adsociationis prius obtemperent, quam *deliberatio*, voluntatis rationalis fons, locum habere queat. Qui enim motus in prima infantia solo voluntatis nisu (e. c. actione musculorum singulorum in literis alphabeti pronunciandis) producuntur, hi serius, inscio fere animo, per adsociationis leges peraguntur. In genere ideae, quae actiones corporis excitant, earum pluri-

mas uno eodemque tempore producere queunt. Non ita ideae, quae solum animi facultates occupant; nemo enim sibi duas ideas, vel a memoria, vel ab imaginatione, vel a judicio excitatas simul praesentare potest. Quin immo, si duae ideae voluntatem impellant, haec vero ad actionem producendam iisdem nervis uti coacta sit, altera impedit alteram, ac *haesitatio* oritur. Vitium istud plerumque dubitationi adscribendum est. Dubitatio autem timiditatis est effectus. Praeterea voluntatis impulsum morbi organorum imperio illius subditorum saepe eludunt, teste *paralysi*, *incubo*. In *catalepsi* voluntatis impulsus deficit. Omni in casu impulsus externi facilius actiones producunt, quam illi, qui solum in animo renovantur (75).

(75) Inde dictum: *les absens ont tort.*

Caput XVI.

DE VERTIGINE.

§. LXVIII.

DEFINITIO. LITERATURA.

Definitio.

1. Perceptio erronea, transitoria, quâ objecta, licet quiescentia e loco, et praesertim in gyros moveri videntur cum metu lapsus, aut lapsu ipso, saepeque tinnitu aurium, et visus obfuscatione, *vertigo* (76) dicitur.

Literatura.

2. De vertigine scripserunt Galenus (77),

(76) Ilingus Swediaur. Alii voce metaphorica hunc morbum *dinos*, gr δῖνος, appellant, id est, saltus in gyrum; inde etiam σκοτοδῖνος, vertigo tenebricosa aut *scotoma*, gr σκότωμα a σκότος, tenebrae, caligo. Alii etiam hypochyma, ὑπόχυμα, seu suffusionem, aut obscurationem corneae transparentis, quae ad visus vitia pertinet, male huc referunt. *Vertigo* latinis, a vertendo. *Germ.* Schwindel, a schwinden. *Gall.* Vertige, tournoiement de tête. *Angl.* Swimming of the head. *Polon.* Zawrót głowy.

(77) De loc. affect. Lib. III. c. 8. Lib. IV. Rat. vict. in acut.

Aretaeus (78), Caelius Aurelianus (79), Oribasius (80), Avicenna (81), Ebn Sina (*), Zacutus Lusitanus (82), Theophrastus (83), Mercurialis (84), Forestus (85), Platerus (86), Boerhaave (87), Willis (88), Ettmuller (89), Hamberger (90), Libavius (91), Scheibius (92 Stenmetz (93), Baillou (94), Sennert (95),

(78) Chronic. Lib. I. Cap. 2.

(79) Morb. chron. Lib. I. Cap. 2.

(80) Synopsis. Lib. VIII. Cap. 5.

(81) Canon. Lib. III. Fen. I. Tract. 5. Cap. I.

(*) Vid. Cap. I. nostrum §. I. N. 2.

(82) Opera. T. II. p. 243.

(83) Tractatus de vertigine.

(84) Consil. I. N. 29. 89. 107. II. N. 76. 91. III. p. 1.

(85) Lib. X. Obs. 43. 46.

(86) Praxeos medicae T. I. p. 185.

(87) De morbis nervosis. p. 480.

(88) Oper. T. II. p. 184.

(89) Opera omnia. p. 428.

(90) Diss. de vertigine. Tub. 1589.

(91) Diss. de vertigine. Jen. 1591.

(92) Diss. quaestiones de vertigine etc. Lips. 1592.

(93) Diss. de vertigine. Lips. 1592.

(94) Diss. suntne vertigines magnor. morbor. prodromi ? Paris 1597. Comment. in Libr. Theophrasti de vertigine. Op. I. p. 291. Consil. III. N. 1. 24. 62. 101.

(95) Diss. de vertigine. Viteb. 1610. 1626.

KEST (96), VAN DER MYE (97), ROLFINCK (98), DIEMERBROECK (99), FRIEDERICI (100), MANGOLD (1), BAUHINUS (2), WEDEL (3), KROKISIUS (4), EICHNER (5), NICOLAI (6) SAUVAGES (7), PLOUCQUET (8), et, detractis hypothesibus, perbelle MARCUS HERZ (9).

(96) Diss. de vertigine. Lips. 1621.

(97) Historia medica de vertigine. App. ad Tr. de arthritide. Hagae 1624. 4.

(98) Diss. de vertigine. Jen. 1633. 1644. 1665. Diss. de vertiginis diagnosi. Jen. 1659. Diss. de dolore capitis, vertigine, et phrenitide. Jen. 1633. 1635. 1651. 1652.

(99) Disput. de morbis capitis. N. 10. Diss. de vertigine. Jen. 1652.

(100) Diss. de vertigine. Jen. 1669.

(1) Diss. de vertigine, inprimis literatorum. Erfurt. 1673. v. Opusc. med. phys.

(2) Diss. de hemicrania in vertiginem transeunte. Bas. 1677.

(3) Diss. aeger vertigine laborans. Jen. 1682. Diss. de vertigine. Jen. 1707. Diss. de vertigine. Jen. 1741.

(4) Diss. de cephalalgia habituali cum vertigine. Regiom. 1703.

(5) De vertiginis genesi. Hal. 1758.

(6) Programmata de genesi vertiginis. Jen. 1759.

(7) Nosol. method. T. III. P. I. p. 236.

(8) Diss. de vertigine. Tub. 1783. Doering. l. c. p. 168.

(9) *Versuch ub. den Schwindel.* Berl. 1791. Et quodammodo HUFELAND's *Journ. d. pr. Heilk.* 3. B. 3. St. p. 389.

§. LXIX.

SYMPTOMATA. AUTOPSIA CADAVERUM.

Symptomata.

1. Vertiginis sub insultu, objecta, etiamsi quiescentia, celeriter vel in gyrum, vel deorsum, vel sursum, saepe sub alieno colore, viridi, coeruleo, variegato, aut adspectu duplicato, vel visu plane obfuscato, vel oculis plane clausis ad tactum solummodo (10) moveri videntur. Aures saepe tinnitu, sussurro afficiuntur. Nonnulli aegrorum nausea, ipsoque vomitu laborant. Quandoque musculi impotentes sunt, aegri se sustinere posse dubitant, vacillant ideo, ac lapsum timent, vel revera labuntur. Quo in casu plurimi mentis constantiam, pulsu simul silente, amittunt, ac tanquam in lipothymia decumbunt. Alias symptomata apoplexiae, paralyseos, aut epilepsiae in conspectum veniunt. Multi aegrorum vel extra paroxysmum somnolentia, ineptitudine ad agen-

(10) « Sic in lecto jacens vertiginosus lectum suum retrorsum, sinistrorsum, vel dextrorsum praeceps ruere, vel inclinari imaginatur, ac ne cadat ipse, metuit. » Sauvages l. c.

dum, et meditandum laborant. Rarissime vertigo continua est.

Autopsia cadaverum.

2. Cadavera vertiginosorum obtulerunt serum in cavitate cranii (11), hydatides (12), verisimiliter taeniam hydatigenam (13), abscessus cerebri (14), vasa encephali angustata, ossificata (15), vitia hepatis (16), et cystidis felleae (17), nec non renum (18).

(11) Wepfer obs. p. 251. Bonet sepulchr. L. I. Sect. XI. obs. 1. 2. 4. Bang act. R. Soc. med. Hafn. Vol. I. p. 280. Morgen diss. exhib. observat. anatom. bigam cum epicrisi. Regiom. 1792.

(12) Bonet l. c. obs. 9.

(13) Cfr. Benedict. Vict. Faventin. Tr. I. S. I. c. 4. Leske Op. c. aliosque auctores in cap. IV. §. XXI. N. 8. indicatos.

(14) Bonet l. c. obs 6. 7. 8. Scultetus obs. p. 78.

(15) Plater in libro de sensuum laesione.

(16) Boerhaave de morbis nervosis. p. 494.

(17) Plures novi homines diu vertigine vexatos, dein morbis hepatis, et cystidis felleae demortuos.

(18) Moebius epit. inst. med. p. 258.

§. LXX.

CAUSSAE. DIAGNOSIS.

Caussae.

1. Vertigini maxime obnoxii cernuntur homines aetate quodammodo provecta (19), monachi (20), et fœminae inprimis hystericae. Excitatur malum in genere a mutationibus repentinis atmosphaerae, constitutione austrina (21), aëre montano (22), frigore (23), potissimum in calvis (24), insolatione (25), epistaxi, haemorrhoidibus, et menstruis retentis (26), gra-

(19) Hippocrates.

(20) Stoll praelect. in divers. morb. chron. N. 332.

(21) Hippocr. Aph. 17. Sect. III.

(22) Humboldt *uber die gereizte Muskel-und Nervenfaser.* 2. B. p. 307.

(23) Ranoe in act. Soc. med. Hafn. Vol. IV. p. 261.

(24) Bloch *Bemerkungen.* p. 105.

(25) Utrum *luna*, duce observatione ex Eph. nat. cur. Dec. I. An. 1. obs. 2, ad caussas vertiginis revocanda sit, non audeo determinare. *Astra* hic conspirare, Friderici adhuc docuit l. c. cap. 8. Platea sat ampla Vilnae est, arboribus circumdata, quam nunquam solus sine vertigine in medio transire possum. Idem accidit nonnullis aliis. An forte aquae, vel metalla sub terra latentia aliquando vertiginis caussae?

(26) Aretaeus, et reliqui medici uno ore.

viditate, haemorrhagiis, inprimis parturientium, venaesectionibus (27), eductione repentina seri ope paracenteseos (28), diarrhoea suppressa (29), purgatione violenta (30), lactatione protracta (31), onania (32), coitu (33), seminis retentione (34), inedia (35), somno protracto (36), erroribus in diaeta (37), mytilis (38), castaneis (39), petroselino, et allio (40) flati-

(27) Wedel l. c. p. 10.

(28) Herz Op. c. p. 336.

(29) Bang in act. Reg. Soc. med. Hafn. Vol. II. p. 47.

(30) Galen. 2. Aph. 22. Simon. Pauli *Quadripart*. p. 455.

(31) Stoll l. c.

(32) Stoll l. c., et quotidiana experientia.

(33) Galen. 2. Aphor. 22. Sinibaldi genearthropia (praesertim in feminis veneri non adsuetis).

(34) Bonet Op. Obs. 15. Herz l. c.

(35) Hippocrates ait: « Si quis prandere consuetus, atque cui prandere conducat, non prandeat, protinus, ubi tempus praeteriit, gravis impotentia exoritur, tremor, tenebricosa vertigo ». Quod etiam testantur observationes apud Platerum Lib. I., et Montanum Consil. 28., nec non meae in judaeis lithuanis jejunia stricte servantibus.

(36) Hippocr. III. Aph. 31.

(37) Hoffmannus Op. III. p. 222. a Bergen diss. de vertigine ex ventric. Fr. ad Viadr. 1719. Rahn diss. mirum inter caput, et viscera abdom. commerc. p. 65. Herz Op. c. p. 338.

(38) Tode *med. chir. Journ*. 3. B. p. 322.

(39) Wedel l. c. p. 18.

(40) Savanarol. ac Saxon. apud Friderici l. c.

bus (41), acidis (42), aquis thermalibus (43); vermibus (44), vino adulterato, sulphurato, dulci (45), coffea (46), cerevisia valde lupulata, fumo carbonum (47), vegetabilium, lithanthracum, calcis (48), nicotianae (49), venenis narcoticis (50), inprimis lolio temulento (51), ab imaginatione, studiis (52), vigiliis (53), galvanismo (54), electricitate atmosphaerica (55), animi pathematibus (56), inprimis

(41) Commerc. liter. Nor. 1774. p. 215.

(42) Whytt.

(43) Sebizius Sect. II. Diss. 15.

(44) Wepfer Obs. p. 230. De la Chevasse in *Journ. de méd.* T. XXVI. p. 430.

(45) Galen. Lib. simpl. med.

(46) Act. nat. cur. Vol. VI. obs. 38.

(47) Mueller *im Nord. Archiv.* I. B. p. 509. Saepe ex fumo carbonum vertigo Vilnae obvenit.

(48) Ramazzini l. c. de morbis calcariorum.

(49) Wedel l. c. p. 8. Bloch l. c. p. 106.

(50) Ut opium, atropa belladonna (Struve in Hufeland's *Journ. d. pr. Heilk.* XVI. B. 3. St. p. 132.

(51) Eph. nat. cur. Dec. II. Ann. VIII. obs. 173.

(52) Piso l. c. Stoll l. c.

(53) Ibid.

(54) Ritter in Hufeland's *Journ. d. pr. Heilk.* XVII. B. 3. St. p. 34 54. Et meae observationes id confirmant.

(55) Aliquoties vertiginem ex appropinquante tempestate cum tonitru observavi.

(56) Ex ira Hoffmann l. c. obs. 7. Stoll l. c. p. 338.

timore ex adspectu periculi (57), vel ab intuitu rerum, quae circumducuntur, ut nubium, praeter volitationes, rotae, vortices aquarum; aut quae ingratae sunt, ut ranae (58), a motu inconsueto, et rapido (59), navigatione (60), contactu occipitis (61), inclinatione, vel reclinatione capitis, a longo decubitu in lecto, unde amittitur consuetudo caput in situ recto aequilibrandi, a sternutatione (62), a violentiis externis, e. c. a lapsu, et percussione (63), caussisque omnibus ex autopsia cadaverum elucentibus, nec non recondito herpete (64), zostere (65), plica (66), morbisque praegressis. *Caussa proxima* vertiginis quaesita erat in spirituum ani-

(57) Herz l. c. p. 367.

(58) Eph. nat. cur. Dec. III. An. VII. et VIII. p. 103.

(59) Forestus Lib. X. obs 49. Engel spec. N. 2. de vertigine, nausea, et vomitu eorum, qui curru vehuntur.

(60) Ephem. nat. cur. Dec. I. An. III. obs. 196.

(61) Schenck obs. Lib. I. N. 94.

(62) Wedel l. c. Diss. 107. p. 10. Pluries vertiginem violentas sternutationes secutam esse, compertum habeo.

(63) Aegineta Lib. III. cap. 12. Avicenna Lib. III. Fen. I. Tract 5. Wedel l. c.

(64) J. P. Frank epitome de curandis hominum morbis. Vol. IV. p. 144.

(65) Guldbrand in act. R. Soc. med. Hafn. Vol. I. p. 142.

(66) Plicae comes frequens vertigo est. Cfr. Part. I. Vol. II. Cap. XXXVI. §. CXLIV. N. 2.

malium motu inordinato (67), vel circulari (68), in agitatione membranarum, ac vasorum cerebri (69), in vapore vel in cerebro generato, vel ad illud transmisso (70), in mixtione spirituum sylvestrium cum spiritibus in cerebro habitantibus (71), in effervescentia ex conflictu humorum acidorum cum alchalinis (72), in humore bilioso aut in ventriculo, aut alio in viscere ebulliente, ac caput allidente (73), in sanguine nigram quandam fuliginem ad obnubilandos spiritus efficacem secum vehente (74), in spasmo fibrarum coronae ciliaris, motu retrogrado cruoris in arteriis retinae, motuque bulbi oculi, inconscia anima (75), in rapida nimis successione impressionum in sensus, et animam (76), in defectu virium corpus humanum perpendiculariter sustinentium, ex motibus iuconsuetis orto (77) etc.

(67) Galen. l. c.

(68) Alexand. I. Probl. 67. et Cassius II. probl. 62.

(69) Hieron. Mercurial.

(70) Ballon Comment. in Theophr. V. de vertigine.

(71) Friderici l. c. cap. VI. sententias Avicennae, Oribasii afferens.

(72) Friderici l. c.

(73) Piso l. c.

(74) Petraeus nosol. P. I. disp. 6. §. 17.

(75) Sauvages l. c. p. 238.

(76) Herz Op. c. passim.

(77) Darwin Zoonom. Vol. I. p. 231. et sq.

Diagnosis.

2. Hypothesibus, quoadusque fieri potest, neglectis, vertiginem cum SAUVAGESIO pro *hallucinationis* specie habemus, qua impressiones, et perceptiones erroneae lapsus metum producentes, ex ignota culpa tum sensus unius alteriusve externi, tum sensorii communis ortae, efficiuntur. Hallucinatur homo in vertigine: non delirat tamen, quia errorem suum statim corrigit ope judicii, et aliorum sensuum. Ad vertiginem accedunt, ab ea tamen distinguenda, vitia nonnulla *visus* et *auditus* (78). Ipsa autem vertigo morbi *symptomata* (79), vel *morbum per se* constituit. Ista vel ab aegritudinibus praegressis imperfecte solutis, e. c. encephalitide, hydrocephalo, apoplexia relinquitur (80), aut effectus est nunc *violentiarum externarum* vertigo traumatica, sive ab ictu (81), nunc *diathesium plurimarum*. Proficiscuntur nempe

(78) Cfr. Sectio II.

(79) Memoratu digna est vertigo *vomitum cruentum* annuncians, aut concomitans.

(80) Vertiginem saepissime a febribus malignis, quae capiti inprimis sunt graves, relinqui, jam WEDEL rite perspexit (l. c. p. 10.). Vertiginem in convalescente ex febre intermittente nuper in clinico instituto Vilnensi curavi.

(81) Idiopathica haec vertigo aliquando *continua* est. GALENUM non latuit (de loc. affect. 8.).

ex iis; 1.° *Vertigo inflammatoria*, sive *ex plethora*, communissima omnium, saepissime ex vitio haemorrhoidali, menstruorum retentione, graviditate, abusu liquorum fermentatorum oborta, faciei plerumque rubore, capitis, praesertim ad occiput, gravedine, lumborum dolore, alvi tarditate, motibusque febrilibus stipata, corpore jejuno remittens, ceterum ex praeceptis generalibus (82) dijudicanda; 2.° *Vertigo rheumatica, sive catarrhalis*, haud raro cum inflammatoria complicatione, sub temperiei mutationibus repentinis, praeviis artuum doloribus, affectionibus catarrhalibus, coryza, cum evidenti visus affectione, et generalibus rheumaticis notis (83), obveniens (84); 3.° *Vertigo gastrica* (*stomachica* Sauvagesii), ob fallaciam symptomatum gastricorum in morbis cerebri (85), cautissime, et secundum regulas generales dijudicanda, aliquando vitio verminoso, saepissime haemorrhoidali, aut labi hepatis juncta, praeeuntibus oris amarore, ventriculi morsu etc.; 4.° *Vertigo arthritica*, gravis, plerumque periodica, et cephalaeae,

(82) Cap. I. §. IV. 14.

(83) Ibid. N. 15.

(84) Herz l. c. p. 336.

(85) Ibid. N. 15.

magnaeque virium jacturae nupta; interdum nexum cum herpete, zostere habens, ac graphice a MUSGRAVE (86), STOLLIO (87), BANG (88), BARTHEZ (89), descripta; 5.° *Vertigo nervosa* (*V. hysterica*, *hypochondriaca*), adspectus objecti terribilis, inanitionis, animi pathematum, lucubrationum, motus inconsueti, electricitatis, narcoticorum effectus, per modicam licet alvinam evacuationem, vertiginosis alias tam salutarem, aucta, urinarum limpidarum profluvio, ructibus inodoris stipata, saepe cum menstruorum a recto tramite aberratione; 6.° *Vertigo fugax*, sive *accidentalis*, praecedenti affinis. Quibus singulis *vertigo scorbutica* (90), *venerea* (91), et forte *mercurialis* (92), ne dicamus de *plicosa*, addi debent. A divisione vertiginis in *vertiginem cerebri*, *v. visus*, *v. tactus*, et *auditus* (93), parum utilitatis in pra-

(86) De arthritide anomala c. 14.

(87) Rat. med. P. V. p. 435.

(88) *Auswahl aus d. Tagebuch d. Krankenhaus.* 1785. julii.

(89) Op. c. 2. B. p. 352. §. 129.

(90) WILLIS de anima brutor. Pathol. cap. 7.

(91) ASTRUC de morbo venereo. L. IX. Paris 1740.

(92) Pluries sub cura mercuriali in syphiliticis systemate nervoso admodum sensili instructis vertiginem ortam vidi. An per actionem hydrargyri in hepar, et per consensum hujus visceris cum cerebro?

(93) DARWIN *auditory* vertigo.

xi exspectamus. Morbi saltem gradum designat divisio vertiginis in *simplicem* (94), *tenebricosam* (95), et *caducam* (96).

§ LXXI.

PROGNOSIS. CURA.

Prognosis.

1. Vertigo ut *signum* in morbis optime ab Hippocrate (97), Galeno (98), Sydenhamo (99), Lieutaudio (100), et Vogelio (1), interpretata fuit. Quot morbos nervosos ea praesagiat, ex plurimis hujus libri locis palam redditur. Ut morbus per se, vertigo inflammatoria, gastrica,

(94) « Dum exteriora, aut corpus nostrum, aut utraque simul circumagi, ac nutare dumtaxat videntur ». Borsieri Op. c. Vol. III. Cap. IX. §. 294.

(95) « Quando praeter apparentem objectorum rotationem, aut motum obscuratur etiam visio, aut deficit ». Ibid. *Synon.* Scotodinia. Scotoma.

(96) « Quando vertigo adeo invaluerit, ut aeger obvia quaeque apprehendere cogatur, ne corruat ».

(97) Aph. 15. Sect. VIII. Coac. N. 105. 106. 141. 144.

(98) Loc. affect. Lib. III. 8. p. 78.

(99) Epist. ad Cole. p. 243. 1.

(100) *Précis de la médecine pratique.* T. I. S. I. p. 174.

(1) De cognosc. corp. humani affect. p. 517.

nervosa, inprimis si transitoria fuerit, minus timenda, quam reliquae species, potissimum si ad tenebricosam, vel caducam pertineant. Vertigo arthritica saepe aliis comparentibus morbis (2), inprimis cutaneis, solvitur. Vertiginem et veluti remedium agere, alibi (3) docebitur.

Cura.

2. Vertiginosi nunquam soli domum derelinquere, scalas percurrere, fenestris apertis incumbere, aut equitare deberent. Cura vertiginis traumaticae illi aliorum morborum cerebri a violentiis externis ortorum similis est (4). Vertigini *inflammatoriae transitoriae* nil, nisi regimen diaeteticum (5), opponimus. In permanente, praeter istud regimen, ad methodum quoque antiphlogisticam morbis cerebri accommodatam (6), confugiendum est. *Venae sectio* (7), potius e pede, et parva, ac repetita

(2) Tenebricosa vertigine, indolis aperte arthriticae laboravit a. 1811. Comes Vilnensis T., serius incidit in tumorem glandulae prostatae, ac plane a vertigine liberatus est.

(3) Cap. §.

(4) Cap. II. §. XII. Cap. III. §. XVII.

(5) Cap. V. §. XXIX. N. 1.

(6) Ibid.

(7) A. 1811. feminam Vilnae conspexi, quae ad septimum graviditatis mensem perducta lectum nullo pacto deserere potuerat, quin in vertiginem caducam incideret. Cum ae-

(8), *cucurbitulae scarificantes* nuchae, aut *hirudines* capiti, vel in haemorrhoidariis ano appositae, pediluvia tepida, *nitras potassae*, et alvum aperientia, eminentes producunt effectus. Ipsa haec methodus et in *rheumatica vertigine* conducit, cujus tandem cura vesicatorio ad nucham, vel inter scapulas, non neglectis lenibus diapnoicis, ut *acetate ammoniae liquida* cum *nitro*, et aqua florum sive sambuci nigrae, sive tiliae europaeae, cui, absente omni irritatione inflammatoria, et *guajaci resina* addi potest (9), absolvitur. Calvi capillitium artificiale adhibeant necesse est. Quodsi vertigo potius processui inflammatorio rheumatico praegresso originem deberet, aut aliorum cerebri morborum reliquias constitueret, praeter *setaceum* ad nucham, parvas, saepeque repetitas doses *muriatis hydrargyri mitis*, dummodo nulla scorbutica obstarent indicia, summo cum fructu adhibuimus. Quondam *cinnabaris* calomelani vices egisse videtur (10). *Vertigo*

gra gracilis esset, nullasque plethorae notas exhiberet, primum liquorem anodynum, ac spiritum cornu cervi succinatum praescripsi, quae remedia cum malum auxissent, illico ad venae sectionem confugi, vertiginem extemplo, ac perfecte auferentem.

(8) Herz Op. c. 406.

(9) Herz l. c. p. 419.

(10) Quercetanus quinque exempla felicissimi usus adducit

gastrica raro, aut nunquam sub ipso insultu *emetici* usum admittit; tunc enim auxilium in *clysteribus*, praesertim cum *aceto*, in potu subacido, in fomentatione tepida abdominis, ac in quiete corporis quaerendum. Tempore libero cura radicalis secundum regulas generales (11), ita absolvitur, ut acidorum, flatuum (12), vermium, obstructionisque hepatis summa ratio habeatur. *Clysterum visceralium* (13), hic non obliviscendum. Vertigine ex ventriculi languore *baccae albae piperis nigri*, eo jejuno ingestae, prospiciunt (14). Magni momenti a nonnullis habetur radix *doronici pardalianches* Linnaei ad scrupulum (15). Praeterea ma-

(in tetrade affect. c. 33.). Wedel ait (l. c. p. 16): Nos quoque efficacissima haec ipsa cinnabarina semper deprehendimus, unde etiam vertiginem post febres malignas unica cinnabari abegimus non semel.

(11) Cap. I. §. VI.

(12) R. Magnesiae purae: sulphatis sodae aa drachmas duas: seminum coriandri sativi drachmam semis. M. f. pulvis. Cap. ad vesperas cochl. coffeanum unum alterumve.

(13) Cap. XVII.

(14) Fr. Hoffmann de praestantia remediorum domesticorum. §. 26.

(15) Wedel l. c. Diss. an 1707. p. 15. ait, tectorum curatores ex hac radice cum radice valerianae, cubebis, et granis paradisi pulverem adversus vertiginem munientem parare. Idem Sauvages (l. c. p. 248.) de funambulis refert.

xime ad regimen diaeteticum respiciendum; comedere mane mature, et ad horas somni decenter suadet PLATER (16). Senibus non admodum plethoricis succolada Inda, juscula ex vino cum macis, cardamomo, et croco, nux juglans condita, nux moschata, zingiber in India conditum prosunt. *Vertigo arthritica* uti cephalaea ejusdem indolis curatur (17). *Resina guajaci officinalis* in vitello ovi subacta (18), ulcera artificialia ad nucham, thermae (19), cura pedum, et evacuatio alvi, urinae, ac transpirationis, praecipue prosunt. Vertigo nervosa *aetherem sulphuricum alcoholisatum, oleum cajeput, succinum, corticem cinchonae, martialia, gummi resinam ferulae assae foetidae, radicem valerianae, lignum quassiae amarae, cubebas, semina sinapis nigrae, aquas Pyrmontanas cum lacte tepido* (20), *electricitatem, magnetem* (21), *aliaque* (22) postulat. Victus ut su-

(16) Obs. Lib. I. obs. 95.

(17) Cap. II. §. XII. 5.

(18) HERZ l. c. p. 420.

(19) HERZ praecipue Freyenwaldae fontem commendat.

(20) HERZ l. c. p. 447.

(21) *Mém. de la Soc. R. de méd.* An. 1779. p. 653.

(22) *Stercus pavonum* siccum ad scrupulum, ut specificum ab antiquis, et adhuc a SAUVAGESIO (l. c. p. 247.) commendatur.

pra in debilitate ventriculi. Praeterea et rebus externis adversus cephalaeam nervosam commendatis (23), potissimum sub paroxysmo locus est. *Vertigini scorbuticae* antiscorbutica, *venereae* antisyphilitica, et *mercuriali* sulphur secundum regulas ex aliis hujus operis locis eruendas, opponi debent.

Caput XVII.

DE HYPOCHONDRIASI.

§. LXXII.

DEFINITIO. LITERATURA.

Definitio.

1. Hallucinatio circa sanitatem propriam, quae multo magis perdita reputatur, quam revera est, cum scrupulosa ad corporis statum attentione, anxietate, metu perstantibus, praeter imaginationis vitium reliquis animi facultatibus illaesis, *hypochondriasin* (24) constituit.

(23) Cap. II. §. XII. N. 11.

(24) A ὑπὸ, sub, et χόνδρος, cartilago, quasi dicas *malum*

Literatura.

2. Scriptoribus selectis de hypochondriasi adnumeramus GALENUM (25), FISCHERUM (26), SENNERTUM (27), HIGHMORUM (28), CONRINGUM (29), SCHENKIUM (30), WEDELIUM (31), ZACCHIAM (32), STRAUSSIUM (33), VESTIUM

sub cartilaginibus (mucronatae scilicet et costarum spuriarum) *positum*. Morbus resiccativus, seu siccatorius HIPPOCRATIS (Lib. II. de morbis) πάθος φυσῶδες, flatuosa passio AETII, teste GALENO (Lib. III. loc. affect. c. 7.) Morbus hypochondriacus, morbus eruditorum, hypochondriaca passio, tartarus hypochondriorum. *Arab.* Mirachia (mesenterium Arabibus *mirach.*). *Germ.* Hypochondrie, Milzkrankheit. *Gall.* Hypochondrie, maladie vaporeuse, imaginaire. *Ital.* Ipocondria. *Polon.* Hypochondrya.

(25) L. c.

(26) De affectu hypochondriaco. Brunsw. 1624. De loco vero, foco adfectus praecordialis. Ibid. 1631.

(27) Lib. III. Prax. med. part. V. Sect. I. c. I. et: diss. de hypochondr. affect. Wittemb. 1627.

(28) De affectione hypochondriaca. Amstel. 1660.

(29) Diss. de morbo hypochondriaco. Helmst. 1662.

(30) Diss. de passione hypochondr. Jen. 1666. Diss. de malo hypochondr. Ibid. 1668. Diss. aeger labor. malo hypochondr. scorbut. Jen. 1670.

(31) Diss. de morbo hypochondriaco. Jen. 1676.

(32) De affectionibus hypochondriacis. Aug. Vind. 1671. De malo hypochondriaco. Rom. 1679.

(33) Diss. de aegro affectu hypochondriaco; capitisque steatomate laborante. Giess. 1683.

(34), ORTLOBIUM (35), STAHLIUM (36), ETTMULLERUM (37), NEEDHAMIUM (38), BARBETTUM (39), ALBERTUM (40), FR. HOFFMANN (41), VIRIDETUM (42), CHEYNEUM (43), FLEMINGUM (44), HALLERUM (45), FRACASSINIUM (46), BUCHNE-

(34) Diss. de malo hypochondriaco. Erf. 1691. Diss. de affectione hypochondriaca. Ibid. 1702.

(35) Diss. de hydrae in hypochondriis nidulantis origine, indole, et antidoto. Lips. 1696.

(36) Diss. de malo hypochondr. hyster. Hal. 1703. Diss. de vena portarum, porta malor. etc. Ibid. 1705.

(37) Op. med. omnia. Francf. 1708. Cap. de malo hypochondriaco, et de scorbuto.

(38) De morbo hypochondriaco.

(39) Prax. med., et chirurgica. Op. edit. Genev. 1783.

(40) De haemorrhoid. medicina hypochondr. Hal. 1716. De morb. imaginar. hypochondr. Ibid. 1755.

(41) Diss. de praecipuo studiosorum morbo, ejusque genuin. caus. Hal. 1699. Diss. de vera morbi hypochondr. sede, indole, et curat. Ibid. 1719. Diss. de affectu spasmod. hypochondr. inveterato. Hal. 1734. Op. supplem. Part. II. et med. rat. systema. T. IV. P. 3. Cap. 6. Respons., et consultat. T. II. Sect. 3. Casus 29. 39. Sect. 4. Cas. 143. 146. etc.

(42) *Sur les vapeurs.* *Yverdon* 1726.

(43) *The english maladie.* Lond. 1739.

(44) Neuropathia, seu de morbis hypochondriacis, et hystericis Lib. III. Poema. Eboraci. 1740.

(45) Diss. de malo hypochondriaco. Goett. 1752.

(46) Naturae morbi hypochondriaci investigatio; v. opusc. patholog. Lips. 1758.

RUM (47), GATTENHOFFIUM (48), ZEVIANIUM (49), PLOUCQUETUM (50), KREYSIGIUM (51), TODEUM (52), CRICHTONUM (53), STORRIUM (54), et VILLERMAY (*), nec non omnes, qui de tuenda literatorum sanitate egerunt (55).

(47) Diss. de singulari sensibilitate hypochondriacorum, ejusque caussis. Hal. 1749. Diss. de vero ortu mali hypochondriaci. Hal. 1759.

(48) Diss. de hypochondriasi. Heidelb. 1769.

(49) *Del flato a favore degl' ipocondriaci. Verona* 1775.

(50) Diss. de morbis neuricis, praecipue ea specie, quae ex infarct. abdominal. oritur. Tubing 1791.

(51) Diss. pathologica mali hypochondr. Viteb. 1797.

(52) *Nothiger Unterricht f. Hypochondristen.* Kop. 1797.

(53) *Ueber Natur und Ursprung der Geisteszerruttung. A. d. E.* Leipz. 1798.

(54) *Untersuchungen uber den Begriff, die Natur und Heilbedingungen der Hypochondrie. Stuttg.* 1805.

(*) *Traité des maladies nerv. ou vapeurs, et particulièrement de l'hystérie et de l'hypochondrie.* Paris 1817.

(55) Addat. auctoribus in P. I. Vol. I. §. IX. 7. citatis: GRATAROLUS de conservanda valetud. literatorum. FABR. Tr. de literator. tuenda, et restit. valetudine. GENESNERUS in praecept. tuend. sanit. HORSTIUS de sanitate studios. PICTORIUS in meth. san. FICINUS de studios. san. tuend. JAC SYLVIUS de victus ratione facili, ac salubri pauper. scholast. GUNTHERUS in hortulo san. HOLLINGIUS de salubri studios. victu. JOH. SYLVIUS de studios., et eorum, qui corporis exercitat. addicti sunt, tuenda valetud. WEDELIUS disp. de diaeta literat. VVALDSCHMIDIUS disp. meth. san. studios.

§. LXXIII.

SYMPTOMATA. AUTOPSIA CADAVERUM.

Symptomata.

1. Symptomata hypochondriasis incipientis reduci possunt ad animi peculiarem conditionem, qua aegri, vegeti caeterum, et functionibus sat bene procedentibus, mala multigena nullo evidenti principio invicem connexa, utplurimum solo eorum relatu cognoscenda, quaeque alii spernerent, cum scrupulosa attentione, non sine exaggeratione enarrant. Gravior morbus praeterea annuntiatur animi abjectione, fluctuatione, irritabilitate inconsueta, diffidentia de se ipso, aliisque (56), impotentia proprios labores rite absol-

Alberti in hygien. c. 15. de sanitatis moderamine in literatis. Matthaei de studios. sanitate tuenda. Hal. 1721.

(56) Hypochondriacus haud raro universum genus humanum, proprio excepto individuo, perversum, ac sibi infensum existimat; hoc individuum solum curans, reliquumque orbem terrarum negligens, nihilominus ut quivis desideriis suis obviam eat, exposcit, quod nisi accidat, inprimis si alter ad eosdem honores consequendos, ad quos ipse adspirat, concurrere audeat, id pro injuria, quin immo pro crimine habet, atque sic vitam infelicem ducit, ordinemque publicum perturbat.

vendi, silentio (57), tristitia, solitudinis amore, phantasia perversa, proclivitate ad somnum minime recreantem, et a tristibus somniis interruptum. Accedunt lucida intervalla, ubi nemo hypochondriaco lepidior. Jam vero caput obtuse dolet, aures tinniunt, oculi obnubilantur, lingua aspera evadit, sapor, praesertim matutinis horis, depravatur, saliva spumosa rejicitur, carnes flaccidae fiunt, totum corpus languet, et saepe sub minimo motu, aut animi pathemate sudore perfunditur. Interea aegri saepe voraces ex erroribus in diaeta sibi novas attrahunt aerumnas. Quocumque in casu serius ocyus tensio, inflatio ventriculi vel ipso tactu cognoscenda, nec non sensus ligaminis hypochondria secundum diaphragmatis decursum perstringentis superaccedunt. Quin immo hypochondria, et maxime sinistrum, tument, ac in locis intestini coli flexuris respondentibus, attactum aegre ferunt. Flatus mira volubilitate intestina percurrere solent. Incommoda haec plus minusve continua, et interdum in solo corporis latere sinistro obvia (58), per intervalla adhuc augentur, ac aliis malis sociis paroxysmos terribiles effor-

(57) Boerhaave praelect. ad institut. Tissot l. c. p. 76.

(58) Hypochondriacus nuper *pro dimidio suo corpore* consilium meum expetiit, asserens se tantum ad latus sinistrum aegrotare, altero autem optime valere. Cuncta symptomata hanc assertionem confirmarunt.

mant, praesertim autumno, hyeme, aestate fervidissima, et in feminis circa catameniorum tempus saevientes, quorumque sequens est imago. Aegrotus percipit inquietudinem, et jactationem, praecordiorum angustiam, ac sensum ac si conscientia a crimine commisso angeretur, cordis tremorem aut palpitationem cum pulsu parvo, et irregulari, respirandi difficultatem, sufflaminatis fere spiritibus, gutturis constrictionem, pondus ventriculi, nauseam, aliquando vomitum materiae acidae, tenacis, ductilis, aestum hypochondriorum cum pulsatione epigastrii, flatuum prius veluti incarceratorum evacuationem sursum, et deorsum, atque hic interdum cantum aemulantium (59), calores fugaces, partiales extremitatum sudore viscido coopertarum, frigus quandoque cadavericum (60), formicationis sensum ad cutem, subsultus tendinum, et musculorum abdominalium, aliorumque, dolores ad spinam vertebralem, fletum (61), vertiginem, et lipothymiam. Ad acmen sic perducto malo, sub copioso, aut urinarum cum crystallo claritate certantium fluxu, nonnunquam cum stranguria, aut comparente ad faciem hydroa (62), plurima mala evanescunt, aliaque, ast minore in gradu,

(59) Pechlinus apud Fr. Hoffmann.

(60) Sydenham l. c. p. 91.

(61) Idem l. c. et quidem vel in maribus, hystericarum instar.

(62) P. I. Vol. II. Cap. XXVIII. §. CVIII. 4.

manent. Morbo enim jam jam inveterato, nunquam recte se habent hypochondriaci. Ad mala perseverantia spectant dolores varia in loca irruentes, debilitas, et praesertim pertinax alvi obstructio, haud raro ad hebdomadas, menses (63), protracta cum faecibus quandoque ita induratis, ut digitis, aut instrumentis extrahi debeant, aut muco ductili, gelatinoso obductis. Sociae crebro fiunt haemorrhoides nunc coecae, nunc, at non semper (64), cum levamine fluentes. Urina mox crassa cum sedimento lateritio, et pellicula iridis colores ludente, aliquando nigra (65), mox frigida (66), mox alimentorum comestorum indolem exhibens (67). Redeuntibus pluries supra descriptis paroxysmis, aeger, jam habitum specificum vix verbis describendum, luridum, oculis in orbitis profunde locatis, adeptus, a consideratione conditionis suae plane absorbetur, ac proprium crebro explo-

(63) Salmuth (Cent. I. obs. 24.) obstructionis alvinae per dimidium annum durantis meminit.

(64) Sic Fr. Hoffmann (diss. c.) contra Stahlium jure docuit.

(65) Eph. nat. cur. Dec. I. an. I. obs. 63. (et semen hic nigrum fuisse fertur). An. 2. obs. 63. schol. Dec. III. an. 9. 10. obs. 69. Hypochondriaci cujusdam urina nigra mihi in scribendo atramenti locum tenuit.

(66) Eph. nat. cur. Dec. II. an. 4. obs. 140.

(67) Fourcroy *élémens de chim. et d'hist. nat.* T. 10. p. 99.

rans pulsum, in statum omni commiseratione dignum (68), incidit. Enimvero ab uno ad alterum medicum, aut agyrtam se convertit, re vera nulli fidem tribuendo, ac nullius praeceptis diu obtemperando. Si illi reditus prosperae valetudinis praedicatur, indignatur, alias in desperationem incidit. Quamvis peculiari eloquentia medica (69) dotatus, attamen metu quid obliviscendi percussus, schedulae ope, observationes, quaestiones, dubia continentis, memoriae succurrit. Librorum medicorum studio deditus, morbos, de quibus legit et audit, hos ipse jam se possidere mox autumat. Effectum pharmacorum omnis generis vituperare est solitus; a tonicis enim irritari, a refrigerantibus debilitari, et ab evacuantibus exhauriri fatetur. Alii cubiculum proprium multorum annorum curriculo non deserunt, fenestras aperiri nunquam permittunt, vel et diu noctuque transpirationis fovendae gratia lecto incumbunt, alii faeces stric-

(68) Vis malorum, quibus talis miser premitur, ex eo elucet, quod, superveniente morbo aliquo acuto hypochondriasis curriculum suspendente, etiamsi dolorifico, aeger tamen libentius illum, quam habituale malum perferre est paratus, quod pluries observavi.

(69) Praesertim feminae complicationem hysteriae cum hypochondriasi exhibentes *eloquentia hac medica* excellere solent.

tissimo examini subjiciunt, gustant (70), medico e longinquo afferunt (71), vel alias actiones nauseantes committunt (72). Hallucinationes hypochondriacorum, perstante caeterum rationis usu, aliquando eum attingunt gradum, ut se habere imaginentur calculum in vesica urinaria (73), foetum in utero (74), rabiem ca-

(70) Commilitonem hypochondriacum habui asserentem, sibi periculum febris biliosae imminere. Suscitatus, ut caussam talis praesagii indicaret, respondit: nam faeces meae a nonnullis diebus plus solito sunt amarae!

(71) Hypochondriacus alto loco natus ad Lithuaniae confinia habitans medicum suum in Borussia degentem omni hebdomade cum vasis faecibus suis repletis adire erat solitus. Quamvis haec vasa in curru, peculiari artificio recondita fuerint, attamen ad confinia, quae Lithuaniam a Borussia separant, perducta, publicanorum, utpote mercium prohibitarum suspicionem alentium, attentionem minime aufugerunt.

(72) Hypochondriacam Viennae novi cibos solum masticantem, succum extractum deglutientem, ac rejectum caput mortuum medico, ut illud probe examinaret, committentem.

(73) Henr. ab Heer (observat. oppido rar. obs. 27.) a tali aegro quaesivit, quisnam calculosum eum judicaret? Indignabundus respondebat: egomet ipse. Nec ulla persuasione a concepta ista opinione dimoveri potuerat.

(74) Hochstederus Dec. VI. consil. 4. Klein in Hufeland's *Journal d. pr. Heilk.* 1815. Septbr. p. 65.

ninam (75), luem veneream, viscera vacua (76), etc. Ad realia mala pollutiones nocturnae, vel immodicum veneris desiderium (77) spectant. Accedit idea impotentiae ad coitum (78). Generatim hypochondriaci sub quocunque negotio, etiamsi bene procedente, haesitare solent (79).

(75) Autumno an. 1815 vir nobilis a lupo rabido morsus hydrophobia in clinico meo obiit. Consanguineus illius, vir hypochondriacus, qui aegroti curam habuerat, aquam illico abhorrere incipit, se eodem morbo laborare sine spe contendens. Opii larga porrecta dosi, somnus plurimarum horarum imaginationem placavit. Celebr. Obsonville infeliciorem fuisse, ex illius biographia, in *Magasin encyclopédique* (Vol. 2. 1816.) recensita, apparet.

(76) Judaea 56 annorum mercatoris officio sagaciter fungens, ab initio anni 1816 ad proximum mensem junii, praeter symptomata consueta hysteriae, et hypochondriasis, sensum ac si nonnullae corporis sui partes vel *vacuae* essent, vel *labi* vellent, experitur. Mentis omnino compos, ac fallaciam perceptionis plane noscens, nihilominus continuo exclamat: caput mihi vacuum, capite destituta sum, dentes mihi labuntur, (varias corporis partes indicando) hic omnia aperta sunt. Cutis, quae illi etiam decidere videtur, sensu perfecto instructa est. Acies oculorum potius aucta. Auditus normalis. Ita sapor. Dum autem aegra comedit, sensum alimentorum ad os sacrum usque cadentium percipit.

(77) Hypochondriacos venere maxime gaudere, jam Mercurialis (L. I. de capit. affect. c. 10.) testatur.

(78) Quid imaginatio in impotentia virili excitanda valeat, P. IV. L. I. demonstrabitur.

(79) E. c. sub medio orationis publicae.

Aegre ferunt congregationes hominum, ut in ecclesiis, comitiis, theatris, nec non conspectum regum, principum (80). Sunt, qui nisum quid sive incongrui, sive perniciosi perficiendi experiuntur (81). Alii a timore maniae, apoplexiae anguntur, aut mortem determinato, et praedicto die expectant. « Ast, quis potest omnia, ac singula hypochondriacorum symptomata recensere, quae quot adoriuntur individua, tot fere diversas ludunt tragoedias? » (82).

Autopsia cadaverum.

2. Cadavera hominum, saltem pro hypochondriasi habitorum, exhibuerunt cerebrum nigrum (83), steatoma in eo (84), vitia cordis, vaso-

(80) Nonnullos nosco, qui tali oblata occasione a lipothymiae imminentis sensu corripiuntur.

(81) Reil u. Hoffbauer *Beytrage z. Beförderung e. Kurmethode auf psychisch. Wege.* Halle 1812. 1. B. p. 586. Reil *Rhapsodien.* p. 309. Coquum hypochondriasi laborantem curo, qui aliquoties, dum maximo quodam cultro ad labores suos perficiendos utebatur, id ob metum sibi ipsi injuriam inferendi rejiciebat. Barbitonsor Viennae consilium meum impetravit, asserens se in officio suo exercendo saepe nisum experiri clientibus suis gulam rescindendi.

(82) Fr. Hoffmann med. rat. syst. l. c. §. 3.

(83) Eph. nat. cur. Dec. II. an. 6. append. p. 37.

(84) Strauss l. c. Cfr. Cap. II. §. X. 12.

rumque majorum (85), scirrhum pylori (86), morbos hepatis (87), lienis (88), pancreatis (89), intestinorum (90), omenti (91), venas meseraicas instar intestini dilatatas (92), varicosas (93), et sanguine viscido repletas (94).

§. LXXIV.

CAUSSAE.

Praedisponentes et occasionales.

1. Hypochondriasi ansam porrigunt vitium hereditarium (95), aetas inter annum vigesimum

(85) Zacchias L. III. c. 15. Lieutaud hist. anat. med. L. II. obs. 795.

(86) Hochstederus Dec. V. p. 502. 588. Bonet sepulchr. L. I. 8. 9. obs. 18.

(87) Lieutaud l. c. Lib. I. p. 125.

(88) Blasius in Comment. in Veslingium p. 67.

(89) Swalwe pancrene. Amst. 1668. p. 194.

(90) Eph. nat. cur. Dec. I. an. 4. 5. obs. 192. Dec. II. an. 6. obs. 132. Cent. I. obs. 20.

(91) Bonet l. c. obs. 20.

(92) Gaurinonius consil. 484.

(93) Lud. Mercatus T. III. Lib. 1. cap. 17.

(94) Rhodius Cent. II. obs. 76.

(95) Fr. Hoffmann med. rat. syst. l. c. §. 19. Observavi praeterea prolem matrum hystericarum dispositionem ad hypochondriasin agnoscere.

et quinquagesimum, educatio cum nimia sanitatis sollicitudine (96), morbi hypochondriaci in aliis adspectus (97), diuturna in nosocomiis mora (98), aegritudines chronicae (99), febres intermittentes (100), dysenteriae (1), morbi cutanei (2) neglecti, maleque curati, inprimis abusus cinchonae (3), opii, adstringentium (4), pur-

(96) Dum parentes ob minima licet infantum incommoda, tumultum mox faciunt, ad querelas eos cogunt, eorumque attentionem continuo in propriae valetudinis conditionem dirigunt; talis proles vix hypochondriacum evitabit malum.

(97) Juvenes dispositionem ad hypochondriasin habentes cognovi, qui eam amiserunt, commutato institutore hypochondriaco cum alio serena mente praedito.

(98) Rusticos, milites, operarios, aliosque munera prius in aëre aperto perficientes a protracta mora in nosocomiis, e. c. ob vulnera, fracturas ossium, psoram etc., hypochondriacos redditos fuisse, plus vice simplici vidi.

(99) Consuetudo morbum proprium diu observandi, vel eo fugato, imperium suum in corpus sanum exercet.

(100) Legatur de hoc memorabili argumento Oethaeus apud Schenk L. I. obs 6. Ettmüller de abusu praecipit. c. 3. §. 5. Horst L. X. obs. 28. p. 189. Fr. Hoffmann l. c. obs. 1.

(1) Praegressis dysenteriae epidemiis, hypochondriasis frequentius obvenire solet.

(2) Cfr. P. I. Vol. II. C. XXXII. §. CXXV. 1.

(3) Porrige haemorrhoidario corticem, et facile fiet hypochondriacus.

(4) E. c. in diarrhoeis, fluore albo.

gantium (*), mercurii (5), venena (6), balnea frigida (7), haustus aquae glacialis (8), liquores fortes (9), cibi flatulenti (10), pingues, nimii, praesertim in convalescentia (11), mos pravus celeriter comedendi, cibos non satis manducandi, consuetudo tempore pastus legendi, cibosque cum literis devorandi, mellea scitamenta (12), jejunia (13), vita sedentaria, in-

(*) SCHAEFFER in HUFELAND'S *Journ. d. pr. Heilk.* 1816. maii p. 29.

(5) Post curam mercurialem plures hypochondriacos factos vidi. Forte ex irritatione hepatis a stimulo specifico hydrargyri? quandoque ex salivae jactura.

(6) Fere omnes, quos a deglutitis venenis mineralibus liberari potui, hypochondriaci evasere.

(7) Saltem in praedisposito paroxysmum hypochondriacum a balneo fluviatili excitatum vidi.

(8) BOHNIUS L. I. de affect. med. dupl c. 7. p. 152.

(9) Centurionem militum curavi prius sobrium, et perfecta sanitate gaudentem, qui cum an. 1814 Carlsruhi ad diem festivum Imperatricis suae celebrandum, a sociis largam *punch* calidi copiam ingurgitare coactus fuerit, extemplo in rebellem hypochondriasin incidit.

(10) BLANCARDO (P. II. Prax. c. 61.) et cibos acidos addenti, experientia aliter edoctus haud assentior.

(11) Memorabilis FR. HOFFMANNI observat. Diss. cit. §. X.

(12) Quae dulcis fallacia, tyrannis gulae grata, sed sanitati noxia, inprimis si larga manu sumantur.

(13) Judaei Lithuani haud raro hac ex caussa insultus hypochondriacos patiuntur.

primis flexo anterius corpore (14), quies repentina post motum (15), regimen claustrale (16), caelibatus (17), exercitium medicinae (18), scriptio (19), et lectio librorum argumenti medici (20), intentio mentis (21), taedium (22),

(14) Fr. Hoffmann l. c. obs. 5. Hypochondriasin morbum scribarum, lusorum, sartorum, sutorum etc. esse, constat.

(15) Milites, qui bellum conficiendo hybernant, aut ex officio militari ad civile transeunt, egeni derepente divites facti, reduces ex itineribus, denique ii, qui, exantlatis laboribus otio cum dignitate frui optant, saepe in hypochondriasin incidunt.

(16) Jam C. Piso (de serosa colluv. p. 241.) hypochondriasin pro morbo presbyterorum declarat.

(17) Cum hypochondriasis frequentissime inter caelibatarios obveniat, ea pro peculiari punitione egoismi nuptias adversantis haberi posset.

(18) Quid miri, si notio morborum regnantium, si continua circa morbos aliorum sollicitudo, si observatio malorum maximorum ex minimis aliquando incommodis evolutorum, si exempla mortis repentinae, forteque ipsa sympathia medicos hypochondriacos reddat?

(19) Haud raro medicus auctor morbum, de quo scribere intentus est, ipse habere credit.

(20) Inter multa alia medicinae popularis detrimenta et istud pertinet, quod hypochondriasi ansa porrigitur.

(21) Haec caussa multas alias antecellere solet, in primis si contemplatio circa objecta abstrusa versetur. Sic judaei Lithuani saepius per studium Talmudi, inprimis Gemarae, hypochondriaci evadunt.

(22) E. c. vita ruralis in adsuctis urbi.

philautia, et vita luxuriosa (23), animi pathemata diu protracta (24), aut superata (25), venus nimia, onania (26), et tandem atmosphaerae conditio inconstans, frigida (27), humida, qualis vere, et autumno est.

Proxima.

2. *Caussa proxima* hypochondriasis quaerebatur in hepate plus justo calido, et liene debili (28), in vitiis venae portae, arteriae coeliacae, et vasorum meseraicorum (29), in tartaro (30), in ataxia spirituum animalium (31),

(23) Dum res ad vitam sustinendam sese quasi homini ultro exhibent, dumque omnis generis voluptas exhausta est, tota attentio in proprium dirigitur individuum, et hypochondriasis basis ponitur.

(24) Recentiores auctores de hoc argumento pulchrius non scripsere, quam Horstius (Lib. IV. p. 194.) et Pechlinus (obs. 31. p. 71.).

(25) Qui ex violento amore convalescit, *vacuum* facile a malo hypochondriaco replendum, percipere solet.

(26) Caussa haec reliquas, quot quot sunt, superat.

(27) Fr. Hoffmanno tamen non assentire audeo, utpote qui hypochondriasin pro morbo in Germania, et septentrione frequentiore, quam in Gallia, et Italia declarat.

(28) Horstius op. c.

(29) Sennert l. c.

(30) Chemicorum antiquiorum secta, unde morbum *tartarum hypochondriacum* vocarunt.

(31) Sydenham l. c.

in spasmo tubi alimentarii (32), in labefactatione ventriculi (33), in vitio hypochondriorum (34), etc. Ad nos quod spectat, hypochondriasin pro morbo universi systematis nervosi, sese praecipue in gangliis abdominalibus, plexibus cardiacis, et cerebro, modo cultro anatomico haud demonstrando, exserente, habemus, in quo morbo sensus universalis internus ita laeditur, ut impressiones morbosas sensorio communi committat, unde aeger de mutationibus in corpore suo contingentibus falsas accipit notiones a perceptione ingrata concomitatas, quibus propius eruendis attentionem omnino impendit, at impedito sensuum externorum, quatenus agitur de objectis internis (35), auxilio, et vitiata simul imaginatione, quin falsas illas notiones corrigere valeat; quamobrem, aucto potissimum in encephalo malo, viscera, quae inde nervos accipiunt, praesertim cor, hepar, lien, ventriculus, et intestina tonum amittunt, functiones perverse absolvunt, et tandem corrumpuntur, quod efficit, ut intricatissima aliunde aegritudo in mala adhuc longe graviora convertatur.

(32) Fr. Hoffmann l. c.

(33) Conring l. c. Wedel l. c.

(34) Fernelius Lib. VI. de part. morb. et sympt. c. 7.

(35) Crichton l. c. p. 100.

§. LXXV.

DIAGNOSIS.

Generatim.

2. Si admittamus, hypochondriasin iu hallucinatione sensus universalis interni (coenaesthesis), et in vitio imaginationis consistere, sequitur, *neminem pro hypochondriaco declarandum esse, cujus sensus universalis internus realia mala denunciat, et cujus judicium de perceptionibus suis morbosis rectum est.* Cum vero haud pauci dentur morbi, quorum praesentia (inprimis dum eorum forma necdum ita evoluta est, uti ea in libris, et scholis medicis depingi solet (36)), vix, aut ne vix

(36) Vix auctorem, vixque professorem inveni medicum, qui morborum imagines vividis nimis coloribus non pingeret. Fit inde, ut morbi saepe non cognoscantur, nisi maximum illum gradum, qui oblatae imagini respondet, attingant. Hoc cum haud crebro accidat, nonnulli morbi rariores existimantur, quam revera sunt. Sic legas velim descriptionem *gastritidis*, sicuti ea in compendiis obvenit. Dic nunc, quoties in vitae tuae curriculo talem morbum vidisti? Forte bis, ter, forte semel aut nunquam! Attamen inflammatio ventriculi, uti reliquiae illius testantur, haud rara est.

quidem in sensus medicorum cadit, ac igitur per aegrorum tantum enarrationem cognosci potest, facile fit, quod istorum querelis nulla fides tribuatur, et res imaginationi adscribantur, quarum existentia, adhibita majori diligentia, aut doctrina, erui potuisset. Humanitatis hinc nomine exigimus, ne hypochondriasis diagnosis oscitanter et temere instituatur.

Larvae morbosae hypochondriacae.

2. Morbi frequentissime sub *larva hypochondriasis* obvenientes sunt vitia organica cerebri (37), et medullae spinalis (38), morbi cordis, vasorumque majorum (39), tubercula pulmo-

(37) Cfr. Strauss l. c. et casus Cap. II. §. X. 12. allatus.

(38) Ecclesiasticus Vilnensis adspectum floridum exhibens, ac continuo de laesa valetudine conquerens, ut hypochondriacus lippis et tonsoribus notus erat. Morbo vero exactius examinato, *anchylosis vertebrarum dorsi* detecta est.

(39) Lancisi (de anevrysm. prop. 55. p. 82.). Meckel (*Mémoires de Berlin* 1755. p. 76.). Corvisart (*sur les maladies, et les lésions organ. du coeur, et des gros vaisseaux* Paris 1806. p. 34.). Testa (*Ueb. d. Krankheiten d. Herzens. A. d. I. v.* K. Sprengel. Halle 1813. p. 135. 173.) et Kreysig (*D. Krankh. d. Herzens.* Berl. 1814. 1. Th. p. 332.), pulcherrime objectum, de quo agitur, illustrarunt. An. 1807 cadaver Itali secavi inopinate ex ruptura anevrysmatis aortae demortui, qui miser a plurimis medicis pro importuno hypochondriaco declaratus fuerat.

num (40), calculi biliosi (41), taenia (42), scirrhus pancreatis (43), ventriculi (44), angustationes tubi alimentarii (45), scrophula mesen-

Caeterum cavendum quoque, ne mox omnem motum inordinatum cordis, aut arteriarum, saepe ex nervorum lusu venientem, pro effectu vitii organici harum partium habeamus, in quem errorem plurimi studio morborum cordis dediti, et propria adhuc experientia destituti incidere solent.

(46) Plures aegros utriusque sexus, et praesertim juvenes pro hypochondriacis declaratos accuratissime cum examinaverim, de praesentia *tuberculorum pulmonis* nullum remanebat dubium. Immo SAUVAGES peculiarem speciem *hypochondriasis* sub nomine *phthisicae* a FRACASSINIO stabilitam retinuit. Mirum est, et explicatu haud difficile, quod, evoluta omnino phthisi pulmonali, non solum metus hypochondriacus évanescit, sed securitas phthisicis propria oritur, quam observationem cum REILIO (*Fieberlehre.* 2. B. p. 593.) communem habeo.

(41) In viginti ultra aegrotis pro hypochondriacis declaratis praesentiam calculorum bilis detexi. Huc *hypochondriasis calculosa* FRACASSINI, et SAUVAGESII (spec. 8.) spectaret, si talem morbum hypochondriasi adscribere liceret.

(42) Compara symptomata taeniae cum iis hypochondriasis, et facile de errandi occasione persuasus eris.

(43) Cfr. §. LXVIII. N. 2. et HIGHMORUS disput. anat. p. 47. HARDERUS obs. 59. p. 242.

(44) Cfr. §. LXVIII. N. 2.

(45) In cadaveribus eorum, qui multa symptomata hypochondriaca exhibuerant, et praesertim de pertinaci alvi tarditate conquerebantur, vel et diarrhoea chronica vexabantur,

terii (46), calculus renalis (47), diabetes (48), ne dicamus de reconditis vitiis arthriticis, carcinomaticis, plicosis, scorbuticis, et venereis, quae priusquam formam a propria indole praescriptam induant, saepe systemati nervoso insidias struunt, ac eam hypochondriasis speciem constituunt, quam auctores non inepte *cum materia* appellarunt.

Notae genuinae hypochondriasis.

3. Ad genuinam hypochondriasin concludimus: dum, praemisso stricto ac reiterato examine, neque in familia (49), neque in ana-

angustationem unam, alteramve in tractu intestinorum inveni. Cfr. ABICHT diss. de intestinorum coarctat. diarrh. chron. causa min. vulg. Vilnae 1816.

(46) Glandulae induratae mesenterii, plexibus nervorum meseraicorum irritationem inferendo, facile plexum coeliacum in consensum ducunt, unde plurima symptomata hypochondriaca certe non hallucinationi tribuenda originem trahunt.

(47) MORGAGNI de sedib. et caus. morb. Ep. XXXVI. art. 21.

(48) CAMERARIUS diss. de diabete hypochondriacorum. Tubing. 1696. Semel ipse diabeten sub larva hypochondriasis in judaeo detexi.

(49) Siquis e familia descendit, in qua morbus visceris cujusdam, in primis cordis, hepatis, uteri communis est, duplex cautela requiritur, ne incipientem forte similem aegritudinem pro hypochondriasi declaremus.

mnesticis (50), neque in praesentibus symptomatibus sufficiens ratio alterius aegritudinis praesentiam admittendi invenitur; dum aeger non constanter eadem mala, sed fere quoque die alia, iterumque alia accusat; dum habitus in recenti morbo vix laesam valetudinem indicat; dum praeter digestionem, et alvinam evacuationem, functiones reliquae rite procedunt; dum aegrotus mente recreatus malorum suorum plane obliviscitur, sub taedio autem derepente in ea relabitur; dum caussae alias hypochondriasi faventes, praesertim intensio mentis, animi pathemata, et onania praecesserunt; dumque aeger medicos sine valente caussa crebro mutat.

Distinctio ab hysteria, et mania.

4. Evitato periculo vitia organica viscerum nonnullorum cum hypochondriasi confundendi, aliud minoris quidem momenti, at semper non spernendum se offert, scilicet *hysteriam* (51),

(50) Quoties hypochondriasis symptomata post morbum acutum, etiamsi adspectu levissimum, ut e. c. febris catarrhalis, colica etc., evolvuntur, fides illis minime tribuenda, ac de reliquiis hujusmodi morborum cogitandum, inprimis quatenus a praevio processu inflammatorio pendere possunt.

(51) P. IV. Vol. II. Cap. *de hysteria.*

et *maniam* (52) pro hypochondriasi declarandi, aut viceversa; de quo argumento infra.

Monitum.

5. Neque credendum, hypochondriasin sibi semper plane similem esse. Pro varia nempe aegrorum constitutione diversam admodum indolem ea exhibere solet. Maxime *status hypochondriacus in corpore plethorico* (53) medentium attentione dignus est. Praeter symptomata generalia hic observantur dolores ventriculi post cibos ingestos, aestuatio hypochondriorum, pulsatio regionis epigastricae fere anevryrma arteriae epigastricae simulans (54), epistaxis, rubor faciei, et malarum, calores vagi, interdum vel a parva vini degustatione excitati, necnon cruciatus haemorrhoidales.

(52) Cap. XXV. §. CIII. N. 7. Sic Sauvagesii tam pulchre depicta *melancholia Argantis*, sive *maladie imaginaire* (Nosol. method. T. III. P. I. Morb. class. 8. Gen. 19. Spec. 4.) ad hypochondriasin, sed non ad melancholias spectat.

(53) *Affectus mirachialis* antiquorum, de quo dissertatio ann. 1734. Lipsiae edita, auctore Lembder praeside Adolphi legenda est. Cfr. Fracassinii *hypochondriasis inflammatoria* egregie ab Ettmullero descripta.

(54) Albers *über Pulsationen im Unterleibe.* Allen Burns *v. einigen d. haufigsten Herzkrankheiten, ferner v. Anevrysma der Brustaorta, v. Pulsationen in der obern Bauchgegend etc. A. d. E. Lemgo* 1813. *p* 313. 316.

§. LXXVI.

PROGNOSIS.

Periculum.

1. Malum hypochondriacum taediosum, et difficillimae curationis est. Viam illud arthritidi, ischiadi, calculo renum, cachexiae, scorbuto (55), polypo cordis, obstructionibus viscerum abdominalium, amnesiae, melancholiae etc. sternit. Interdum, at non semper (56), adversus varios morbos, praesertim febriles, et contagiosos immunitatem impertit, aut in illis sive crisin (57), sive remedium (58) agnoscit.

Semiotica.

2. Graviorem morbum indicant tensio hypochondrii sinistri, alvus pertinaciter clausa, urina clara, complicatio cum aliis aegritudinibus. Urina nigra sine febre, menses, et haemor-

(55) Graba diss. de affectu hypochondriaco cum symptomatibus scrobuti. Gies. 1608.

(56) Morton de variolis. Cap. 6. Op. p. 382.

(57) Cfr Ritter *neuere Erfahrungen üb. d. Heilkrafte d. Thermalquell in Wiesbaden.* v. Hufeland's *Journ. d. pr. Heilk.* 20. *B.* 3. *St. p.* 143.

(58) Hartmann diss. dysenteriae malum hypochondriacum solventis exemplum. Francf. 1787.

roides moderate fluentes morbum solvunt. Pessimi ominis sunt vertigo, coecitas, tabes, utpote apoplexiam, et mortem indicantes.

§. LXXVII.

CURA.

Generatim.

1. Hypochondriasis, morbi delicatioris generis (59) cura bifaria est; altera enim *tempus liberum*, altera *paroxysmum* respicit. Generatim, monente jam Montano (60), « in curatione illius non licet praefinire tempus unius mensis, aut anni, sicuti in aliis morbis contingit, sed oportet in toto vitae tempore curationi operam dare ». Quocunque in casu primum est caussas morbi, de quibus aegri non semper conveniunt (61), quoadusque fieri licet, removere, ac perpetuum sibi praefigere vitae regimen.

(59) Pulchre Sennertus (Diss. c. §. 131.): « Verum haec omnia expedire difficillimum est. Etenim cum indicationes dentur contrariae, et quidem ventriculus plerumque debilis calida requirat, contra inflammatoria dispositio .... refrigerantia requirat, caute agendum, ne, dum uni prodesse studemus, alteri noceamus. »

(60) Consil. N. 230.

(61) « *La première difficulté, qu'on a à vaincre avec les*

Vitae regimen.

2. Suadendum hinc est hypochondriacis, ut moderate studiis, iisque selectis (62), si liceat, in aëre libero (63) incumbant, ut honestum otium, animique recreationem non vilipendant (64), ut corpus debito modo exer-

gens de lettres, quand il s'agit de leur santé, c'est de les faire convenir de leurs torts. » Tissot l. c. p. 13.

(62) Plurimis adaptari potest, quod Tissot de eruditis nonnullis dicit : « *espéce d'hommes, qui, attachés à l'ouvrage comme le manoeuvre à sa béche, pourroient étre comparés à quelques fakirs des Indes ; comme eux ils se séparent du genre humain, comme eux ils se macérent de plein gré, sans que souvent il en revienne le plus léger avantage à la société.* » l. c. p. 64.

(63) Ait Plinius junior : « animus eorum, qui in aperto aëre ambulant, attollitur. » Et Tissot : « *Souvent même c'est au milieu des délassements, que naissent les idées les plus heureuses, et c'est en se promenant à la campagne, qu'un des plus beaux génies de ce siècle a composé ses immortels ouvrages.* »

(64) Seneca (De tranquillitate vitae) inquit : « Enim admodum fertiles agri perpetuo, et sine intermissione agricolis inservire non possunt, ita assiduus labor animum turbat, ejusque vires justo citius exhaurit ». Eleganter Valerius Maximus (Lib. III.) ait : « Danda est remissio animis ; meliores, alacrioresque requieti surgunt ». Nec minus eleganter dicit Rivinus : « utilissimum, et necessarium ad sanitatem servandam his est non raro museum cum palae-

ceant (65), et quidem deambulatione, vectione in curru, inprimis equos gubernando, equitatione (66), quae omnia in locis amoenis (67), citra defatigationem (68), absente vento (69), habitaque ratione pastuum (70), peragenda sunt; porro itineribus, maxime maritimis, item na-

stra, pennam cum gladio, aut reticulo, libros cum pila, sellam cum equo, otium cum saltu mutare. » (De agrest. vitae sanitate, disput.). Cfr. Fr. Hoffmanni tractatus, de studiis per regulas diaetet. facilitand. p. 53., et Tissot l. c. p. 133.

(65) Galenus de tuenda valetudine. Mercurialis art. gymnastic. aliique infra recensendi.

(66) Sydenham opusc. med. Cap. VII.

(67) Hinc Galenus (L. c. L. I.): « omnia optima sunt exercitia, quae non modo totum corpus exercent, verum etiam animum oblectare possint ».

(68) Recte Aristonymus monet: « qui exercitio utitur, caveat lassitudinem ». Cfr. Celsum L. I. c. 2. Notari etiam merentur Nenteri verba: « quies post motum fortiorem non statim suscipiatur » (Fund. med. P. I. p. 224.). Quam cautelam aurigae observant, dum equos celerrimo cursu defatigatos, non stabulo illico includunt.

(69) Sanctorius (Med. stat. aph. 25. sect. V.) decrevit: « exercitium violentum, ubi spirat ventus, malum. »

(70) Post coenam stabis, aut passus mille meabis. » Et Sanctorius (l. c. aph. 6.): « corpora, quae a nimio exercitio illico cibantur, laeduntur ». Cfr. Diss. Plazii de usu med. exercit. corp. Lips. 1726.

tatione (*), cultura hortorum, excursionibus botanicis, zoologicis, mineralogicis, laboribus agrariis, venatione (71), sphaeromachia, pila, conorum lusu, decursione ad annulos, quintana (72), exercitiis militaribus etc. Hyemali tempore commendanda vectio in traha, exercitium artium mechanicarum corporis motum exposcentium, ut tornatoris, ludi idem efficientes, ut sphaeristerium (73), armorum agitatio, choreae (74), tandem oscillatio (75), lecti

(*) Si aeger debilis, et arthriticus fuerit, in aqua subcalida. v. Chr. Lang de thermis Carolinis. p. 253. et Plaz l. c. p. 72.

(71) Dolaeus (Encycl. med. p. 54.) venationem ut efficacissimum remedium ad phantasticas imaginationes dissipandas commendat.

(72) V. *Traité des tournois, justes, carrousels, et autres spectacles publiq.*-- Gutsmuths *Gymnastik f. d. Jugend.* 1793. Ejusdem: *Spiele z. Uebung u. Erhol. d. Jugend.* 1796. et Vieth de eodem argumento. Elias's *Anfangsgrunde d. Gymnast. od Turnirkunst. Bern* 1816.

(73) *Le noble jeu du billard.*

(74) « Non solum autem corpori choreae, sed et animo optimam offerunt medicinam, dum hilaritatem, et oblectamentum conciliant ita, ut optimo jure iis commendari queant, qui ex phantastica imaginatione aegrotant. » Plaz l. c. p. 31.

(75) Decumbat aeger super asserem longum, extremitatibus ambabus firmatis, ac auxilio famuli depressum propriaque vi elastica redeuntem. Possunt adulti et *cunis* eorum longitudini accommodatis uti.

pensiles (76), cantus (77), tractatio instrumentorum musicalium circulum sanguinis exagitantium, lusus scenici (78), spectacula, imprimis comoediae (79), lectio librorum animum exhilarantium (80), et cachinnos commoventium

(76) Cfr. Cap. VI. §. XXXV. 10.

(77) De cantus vi in corpus humanum legantur PECHLINUS (L. III. obs. 29.), RODERICUS A CASTRO (Med. Polit. L. IV. c. 16.) qui ait: « quo facilius itineris molestias ferat viator, cantat; carceris taedium captivus musica lenit: et nauta symphonia modulatur, ut maris metum depellat ». Unde etiam dictum: « onera portantes, si cantant, minus molestiam sentiunt », quod a vulgo Rossicorum omnia fere munera cantando perficiente probatur.

(78) Optimus modus aerumnarum obliviscendi est alieni hominis actiones imitari, cui scopo quondam *convivia regalia*, (*Wirthschaften*) inserviebant.

(79) E. c. auctoribus MOLIERE, REGNARD, DESTOUCHES, MARIVAUX, PICARD, FAVART, FABRE D'ECLANTINE, DUMOUSTIER, COLLIN D'HARLEVILLE, GOLDONI, KOTZEBUE, NOTA etc.

(80) En elementa pro *bibliotecha antihypochondriaca*: *Il Decamerone del* BOCCACCIO, *l'Orlando fur. dell'* ARIOSTO, *la secchia rapita del* TASSONI, *il Ricciardetto del* FORTIGUERRI, *l'Orlando innamor. del* BERNI, *la Cicceide del* LAZZARELLI, *Bertoldo, Bertoldino, e Cacasenno, il Malmantile racquistato del* LIPPI, *i ragguagli di Parnaso del* BOCCALINI, *gli Epigrammi del* PANANTI, *la Corneide di* GAMERA, *le favole del* PIGNOTTI, *gli animali parl. del* CASTI, *ec. Pills to purge melancholy, Tristram Shandy, Lousiade, Bozzy and Piozzi, Pindariana, Love's vagaries, Czazytales*

(81), lusus moderatus latrunculorum, aut alea, et quocunque in casu societas hominum mente

for grown gentlemen, the Rivals, School for scandal, Founding hospit. for wit, Gretna Green, the Irishman in Spain, Rule a wife, andhave a wife, the Dramatist; -- *Les essays de* MONTAIGNE, *les satyres de* BOILEAU, *Gilblas de Santillane p.* LE SAGE, *les mille et une nuit, traduit de l' arabe p.* A GALLAND, *les oeuvres de* PIGAULT, LE BRUN, *la bibl. univers. des romans, composée p. une société de gens de lettres.* -- RABNERS *Satyren u. Briefe.* WILLAND'S *poet. u. pros. Werke. Jana* KOCHANOWSKIEGO *Piesni i Frazki. Antypasty malzenskie. Maurycynsza* TRZTYPRZTYCKIEGO *dwor majacy w sobie osoby i mozgi rozmaite. Furfanterye Polskie.* ACHAZEGO KMITY *Spitamegeranomachia i List od zydow do messyasza.* ZABLOCKIEGO *Dziela teatralne. X.* BAKI *Uwagi o smierci niechybney, przedrukowane w Wilnie* 1807. *Dziela* KRASICKIEGO. *Pisma heroi komiczne* WAGRIERSKIEGO *i* KNIAZNINA.

(81) De efficacia *risus* in hypochondriasi legantur: ROMMELIUS in act. nat. cur. Dec. II. a. 8. obs. 176. CAMERARIUS syllog. memor. p. 63. ALBERTI diss. de risus commodo, et incommodo in oeconomia vitali. Hal. 1746. PECHLIN obs. p. 464. Summus princeps PETRUS M., paroxysmis mali hypochondriaci obnoxius, illico ab iis liberabatur, dum ad risum commoveri potuerat; quo in negotio sannio aulicus, BALAKIRIEW, excellebat. v. *Neue Anekdot.* v. PETER DEM GROSSEN, *gesammelt v.* GOLIKOW. N. 119. In Ephem. germ. Dec. II. an. 1, et 2. de quodam musico gravissima hypochondria cum melancholia correpto, narratur, cui pharmaca cuncta respuenti, et nihilominus anxie ea poscenti, medicus cantici illius ecclesiastici « *vom Himmel kam der*

hilari laetaque praeditorum (82), praesertim epulando (83). Quae singula eo magis profi-

Engel Schaar » clausulam, quae sic sonat: « *gedultig*, *frohlich allezeit* » una cum ejus usitata melodia in charta remedii loco notabat, qua formula inspecta in tantum solvebatur cachinnum aeger iste, ut perfecte restitutus statim grabatum derelinqueret.

(82) Ait Aristoteles (L. I. c. 7.): « homo natura aptus est ad coetus, *societatemque* ». Et Seneca: « *haec* morborum impetus arcuit, senectuti adminicula prospexit, solatia contra dolores dedit (De benefic. L. IV. c. 18.) » Legitur: « Tibia, et psalterium suayes edunt cantus, sed utrumque suavis *lingua* vincit ». Societatem autem feminarum ingenio ornatarum illi marium (vel scopo animum hypochondriaci distrahendi) longe ob id antepono, quod mares vix aliter, quam de negotiis politicis, oeconomicis, aliisque saepe ingratis, aliquando non sine ridicula eruditionis ostentatione pertinaciter loqui sciant, feminae contra ea incomparabili polleant arte, non solum de objectis amoenis leviter disserendi, et nobis ipsis modo imperceptibili talia proponendi argumenta, qualia requiruntur, ut enarrando aerumnarum obliviscamur, sed etiam (quod philautiae nostrae maxime arridet) historias nostras cum attentione auscultandi, ac languentem jam jam sermonem verbulo debito loco dicto excitandi.

(83) Quantum prosit socialiter victitare, quo modo multis tunc alimenta magis delectamento sint, inprimis si ex aliena inconsueta culina proveniant, proverbia Germanis familiaria docent: « *In Gesellschaft essen, es schmecke einem unter d. Gesellschaft viel besser, fremd Brod gedeyhe besser, dann einheimisches etc.* »

ciunt, quo magis animum distrahunt, ac a consideratione proprii corporis avertunt, quod interdum ab ipsis obtinetur infortuniis (84), et amore (85), dummodo platonico (86). Praeterea curandum, ut aeger sensim sensimque fidere propriis perceptionibus morbosis desinat (87).

(84) Sic hypochondriacos plures sanatos vidi a vicissitudinibus politicis, a jactura patrimonii etc.

(85) Joepserus (Manuduct. ad vit. long. P. I. c. 12. p. 137.) de amore dicit: « hic ubi temperatae moderationis limites non transgreditur, torpentem viscerum calorem excitat, languentem stomachi virtutem erigit, remorantem concoctionem adjuvat, sanguinem bonum gignit, spiritus copiosos parit, florentem faciei colorem conciliat, mentisque serenitatem affert. »

(86) Quamvis enim hypochondriaci aliquando temporarium levamen a seminis jactura persentiant, attamen non dubitandum, jacturam spermatis repetitam iis nocere.

(87) Hypochondriacos plures sanare mihi licuit, cum eos de *mendacia* sensus eorum universalis interni persuadere potui. Dum scilicet novis angebantur timoribus vanis jacturam sanitatis respicientibus, eos interrogabam, quidnam sentirent de nonnullis ephemeridibus politicis novitates sine delectu recipientibus, e. c. de *Zuschauer* Rigae, de *Gaz. de France* Parisiis, de *Morn. chron.* Londini editis? Nec verbum illis credimus, respondere solebant. Et cur quaeso? Quoniam nos centies, et ultra in errorem duxerunt. Et fidem tamen adhibetis perceptionibus vestris morbosis, maxime fallacibus, quae vobis millies hoc, et hoc annuntiarunt, quin unquam vel simile quid contigerit!

Juvat interdum, ut medicus ab initio se querelis aegrorum plenam fidem adhibere, quodammodo simulet, donec, mota prius dubitatione, tandem pro falsis viriliter declaret (88). Ad astutiam plurimi recurrunt (89); at plerumque sine emolumento, cum cognito errori facile alter pejor succedat (90).

Continuatio.

3. Ast supervacaneum foret mentem componere velle, nisi simul *victus* ratio haberetur. Generatim esto ille simplex (91), ac magis exercitio corporis (92), quam ventriculi viri-

(88) « Prudentia vero hic omnino opus est, verbaque duriora sic moderanda sunt, ut ea ex amore proficisci vel ipse aeger notare possit, quia prius probe perpendendum, an et quo animo aeger sit laturus, cum quosdam nonnisi aegerrime ferre sat constet. » Riedlin lin. med. an. III. Jun. obs. 30. p. 422. Ita juxta Platonem (Lib. I. de legibus): « medicus primum prudenter persuadere, non imperare debet. »

(89) Cfr. Cap. XXV. §. CV. N. 2.

(90) Cfr. Chicoineau diss. an aegrotantes imaginarii sola diversitate idearum sanandi sint? 1713.

(91) Rivinus (l. c.) paganorum hinc edulia suadet.

(92) Praeceptum istud Hippocraticum (L. III. de diaeta) eleganter illustravit Ramazzini (Lib. de principum valetud. Cap. VI. p. 56). Spectat huc et Pinicelli praeceptum (in mundo symbol. L. V. N. 33.): « qui enim sapientiae operam daturus, eum oportet esse victum tenuem. »

bus, literatis saepe infensis (93), respondens. *Panis* sit triticeus, et secalinus, probe coctus, bene fermentatus, mediocriter salitus, seminibus anisi, carvi, foeniculi conditus, non calidus, non durus, et siccus. Similaginei esus non sit continuus. *Carnes* laudabiles sunto pullastrorum, gallinarum, caponum, pullorum gallinaceorum, phasianorum, perdicum, turdorum, attagenarum, alaudarum, et avium campestrium, nemoralium, et montanarum, vitulina, agnina, vervecina, et juniorum animalium, bubula, lepusculi, capreoli, cervi, elixae potius quam assae. *Ova* gallinarum recentia, et tremula facilis coctionis sunt. *Pisces* eligendi mediocres, et fluviatiles, veluti sunt trutae, lucii percae, funduli, ac ut eorum flatulentia aliquo modo cohibeatur (94), initio mensae aliis cibis praemittantur, si tamen cum carne, et aliis non miscueris, rectius facies (95). *Legumina*, et *olera*, dummodo haud flatulenta,

(93) Homines vitam literatam ducentes majorem hostem non agnoscere, quam ventriculi robur, Lancisi (de subitanea morte L. I. c. 22.) et Tissot (l. c. p. 78.) jure monuerunt.

(94) Fien. de flatu. c. 7.

(95) Fabr. Hildanus de tuenda valetud. p. 15. Sic, determinatis saltem diebus, et religionis catholicae praecepta jubent.

non plane fugienda (96). Maxime arrident spinacia oleracea, rumex acetosa, daucus carota, lactuca sativa, urtica dioica (97), beta rubra (98), asparagus, et cappares (99). Pro *acetariis* conveniunt aurantia, limonia, citra, ribes, et eorum succi. Ex *fructibus* conducunt cerasa acida, pruna hungarica, uvae passae, amygdalae dulces, pistaceae, pinei, poma Borsdorfensia, cotonea. *Potus* sit *vinum* tenue, suaveolens, rhenanum, neccaricum, *de Graves*, burdegalense rubrum, et, nisi aeger plethoricus sit, dulce hispanicum, cyprinum, aut amarum absynthii. *Cerevisia* sit clara, defaecata, et lupulo bene condita. *Bellaria* sunto conservae rosarum, amomi zingiberis, semina foeniculi, carvi, coriandri, cortex pomorum aurantiorum saccharo condita. Plethoricis glacies, vulgo *sorbetto*, conducit. Iis exceptis, *coffea* post prandium fere omnibus salutaris; ita guttae

(96) Novi hypochondriacos, quibus victus animalis eos roborandi gratia cum damno praescribebatur, quique longe melius victum vegetabilem ferebant, nec mirum, si ad proclivitatem hypochondriasis ad scorbutum respiciatur.

(97) Herba junior, in Lithuania usitata, vix a spinacia, si coquatur, distingui potest.

(98) Herba junior Polonis et Rossicis, sub nomine *botwina* in usu est. Ita radix reliquorum olerum instar decocta.

(99) Benivien. obs. 105. Sennert l. c. §. 141.

aliquot liquoris alcoholisati dulcis, vulgo *liqueur*, cujus vero ante pastum usus (100) damnandus est. Digestionis opere absoluto, plethoricis aqua frigida sat copiose hausta auxilii specifici vires exerit (1). In reliquis, praesertim tempore frigido, humidoque, *theae* locus est; multum enim in hypochondriasi transpirationi prospicere refert (2). Somnus, si consuetudo id concedit, in sinistro latere corporis capiendus, et pro re nata protrahendus (3). Praecedatur a *coena* modica, aut nulla (4), et sequatur

(100) Quamvis non libenter usus nationales, utpote plerumque experientiae innixos contemnam, attamen nullo pacto consuetudini Rossorum, et Polonorum, ante pastum crematum haurientium, assentire possum.

(1) HUFELAND: *das Element des Wassers als Heilmittel.* V. ejusd. *Journ. d. pr. Heilk.* 1814. 1. *Heft.* p. 11.

(2) MONTANUS Consil. 131. a tempestatum scilicet injuriis munire praecordia suasit, gestando super ventriculi regionem vulturis pellem. Conducunt et extremitatum frictiones mane, et vespere susceptae.

(3) Hypochondriaci praesertim plethorici aliquando pejus se habent, ubi diutius solito somno indulgent, unde regula generalis hic statui nequit.

(4) Consuetudinis potissimum ratio habenda, quae si coenam fert, in aegro plethorico maxime fructus horaei conducunt: aegro haemorrhoidario iterum brassicam acescentem crudam, et illius succum cum oleo olivarum mixtum, Lithuanorum more, suademus.

eum *jentaculum* ventriculum non obruens (5). Ordo hisce in omnibus naturae legibus affinis stabiliendus (6); cui et alvi evacuatio submittenda.

Pharmaca.

4. Ut MONTANI pro hypochondriaco consilium: « fuge medicos, et medicamenta, facileque convalesces » (7) nos non attingat, *pharmacis* parum utimur, eaque haud libenter mutamus (8). Eorum enim loco hypochondriacos ad *fontes medicinales*, quorum aquae saponaceae, salinae, et tandem ferrugineae sunt, mittimus

(5) Jentacula ex carnibus, piscibus, praecipue fumo induratis, et acidis, cum cremato, et vino composita, nisi agatur de militibus, aliisque vehementi corporis exercitio addictis, cane pejus et angue fugienda. *Chocolata*, *thea*, *coffea*, *lac* simplex eorumdem sunto loco.

(6) Mos hodiernus jentaculum prandiiforme (*Déjeuné à la fourchette*), et coenam pro prandio sumendi, quo dies in noctem, nox in diem convertuntur, sanitati, et laboribus literariis, similibusque obstat; nemo enim cum successu tali jentaculo sumpto negotiis per totam diei reliquam partem operam dare potest; et qui somno *nocturno* non indulget, animi vires amittit.

(7) L. c. Idem testantur AETIUS tetrab. II. serm. 2. c. 10. SENNERTUS prax. L. III. P. V. sect. I. cap. 6. WELSCHIUS Cent. I. cons. 100. p. 135. etc.

(8) Jam SENECA dixerat (Epist. I.): « Nil sanitatem impedit, quam crebra medicamentorum mutatio ».

(9) ad usum tum internum, tum externum. Nisi id liceat, pharmacis solum studemus alvum apertam tenere, flatus expellere, vires digestionis excitare, nimiam systematis nervosi sensibilitatem compescere, ac universi corporis tonum restituere. Quibus indicationibus satisfaciunt 1.° *eccoprotica*, aliquando acrioris generis, ad vesperam porrecta, e. c. *electuarium lenitivum*, *pulvis temperans* (10), *radix rhei palmati* (11), *extractum aloës succotrinae* (12), *cucumeris colocyntidis* (13); 2.° *carminativa infusa* mane jejuno ventriculo epota, et ex *seminibus illicii anisati*, *anethi foeniculi*, *coriandri sativi*, *herbis origani*, *majo-*

(9) Cfr. P. I. Vol. II. §. VI. 27. 33. Et Thilenius *Resultate der Brunnenkur in* Ems in Hufeland's *Journ. d. pr. Heilk.* 1816. jun. p. 88.

(10) E. c. ex magnesia, nitro, tartaro vitriolato, et elaeosaccharo foeniculi.

(11) R. Pulveris radicis rhei drachmas tres. f. c. s. q. syrupi ejusdem pil. granorum trium. Conspergantur pulvere radicis ireos florentinae. Cap. ante cubitum N. V.

(12) R. Extracti aquosi aloës succotrinae drachmam unam: pulveris rhei drachmas duas. M. divid. in sexaginta pilulas, quae, si placeat, obducantur folio aureo, vel argenteo. Cap. ad noctem pil. N. III. ad VI.

(13) R. Extracti colocynthidis aquosi drachmam unam. Divide in sexaginta pilulas aequales. Consp. pulvere cinnamomi. D. Cap. ad vesperam pil. N. II. ad VI.

ranae, menthae piperitae etc. (14); 3.° *radix cephaelidis ipecacuanhae* (15), *elixiria stomachica, et visceralia, fel tauri, extractum menianthes trifoliatae, cardui benedicti, decoctum ligni quassiae amarae* (16); 4.° *aqua pruni lauro-cerasi* (17), *oxydum zinci, extractum hyoscyami, moschus*; et 5.° *mars* (18).

(14) R. Seminum anisi stellati, coriandri aa drachmas tres: herbae melissae uncias tres. Concisae D. S. Species pro thea.

(15) Optime sub forma *rotularum*, quarum singula quartam partem grani ipecacuanhae continet, exhibetur, e. c. hora ante pastum. Optatur, ut aeger nesciat, se pharmacum ex classe emeticorum sumere, ne ex imaginatione nauseam experiatur. Enim vero neque nausea, neque vomitus hic requiritur, nisi peculiaris accedat indicatio. De emeticorum in hypochondriasi usu jam dixerat Aetius (Tetrab. 2. serm. 2. c. 10.): « si tamen ventriculus fuerit debilis, illi aerumnam addere non licet ».

(16) Medicis non assentio saturatissima hujuscemodi decocta parantibus; drachma enim semis ligni ad libram aquae amaram reddendam sufficit.

(17) Thilenius *med chirurg. Bemerk. p.* 193.

(18) Ferrum a remotissimis temporibus hypochondriacis sistebat veluti sacram anchoram. Sic aquam, aut vinum, in quibus ferrum candens extinctum est, commendat Plinius (nat. hist. L. 34. c. 15.). Cfr. Paul. Aeginetam de re med. L. III. c. 49. Dioscoridem L. V. c. 53. Mercatum de recto praesid. usu. L. II. c. 7. Qui ultimus auctor rite monet, in martialibus non posse continuari tuto, nisi faeces

Plerumque *una formula* plurimis indicationibus simul satisfacere studemus (19).

Continuatio.

5. Vigente complicatione inflammatoria, praesertim haemorrhoidali, *venaesectione* e pede, *hirudinibus* ad anum, *acidis vegetabilibus*, potissimum *aceto* (20), et *pediluviis* utendum. Visceribus abdominalibus jam jam obstructis, ad methodum alibi exponendam, non neglectis *clysteribus Kaempfianis* (21), deveniendum.

atrum induant colorem. Utplurimum *tinctura, vel extracto martis pomato*, aut *floribus salis ammoniaci martialibus* utor.

(19) E. c. alvi libertati, flatuum evacuationi, et ventriculi tono: R. Foliorum cassiae sennae unciam dimidiam: seminum coriandri drachmas tres: herbae menianthes trifoliatae, radicis calami aromatici aa unciam unam. M. D. S. Species quarum pugillus pro infuso mane sumendo adhibetur. E. c. alvi libertati, viribus ventriculi, et sensibilitati systematis nervosi. R. Extracti rhei aquosi drachmas duas: fellis tauri unciam semis: florum zinci, moschi optimi aa scrupulum unum. M. f. l. a pilul. granorum trium. Cap. ter de die N. VI ad VIII. pilul. E. c. ad roborandum, loco florum zinci, drachmae duae extracti martis pomati praescribuntur.

(20) Oribasius, Boerhaave, et Lorry *v. d. Melancholie. A. d. L. Leipz.* 1770. 2. *B. p.* 380.

(21) Faber diss. ulter. exposit. nov. methodi Kaempfianae, curandi morb. chron. inveteratos, praecipue malum hy-

Si suspicio de latente vitio syphilitico, carcinomatico, plicoso, arthritico etc. subsit, pharmaca illis accommodata prudenter cum remediis hucusque allatis conjungi debent (22). Generatim *gummi resina guajaci* hypochondriasi hujusmodi accommodatissima est (23).

Cura paroxysmi.

6. Sub paroxysmo hypochondriaci mali animus aegri erigendus, et fiducia inspiranda (24). Simul flatus expellendi, cui fini *clysteres carminativi* (25), *frictiones abdominis aromati-*

pochondr. Tubing. 1755. En formulam: R. Radicis taraxaci, saponariae ââ uncias duas: herbae centaureae minoris, marrubii albi ââ unciam unam: florum tanaceti, chamomillae ââ unciam dimidiam. Conc. f. species. Manipulus cum aeq. quant. furfurum pro clystere c. s. q. Aquae ad colat. librae coquitur.

(22) Regulas hic speciales tradere plane impossibile est.

(23) Maximi hoc pharmacum facio a drachma una ad drachmas duas spatio nychthemeri porrectum.

(24) Pulchras observationes de vi imaginationis, et fiduciae in medicamenta collegerunt: Paullini in Eph. germ. Dec. I. ann. 2. p. 238. Riedlin Lin. med. ann. I. Jul. lin. 12. Bartholinus hist. de paralyt. N. T. p. 42. Solenander sect. 5. cons. 15. §. 17. Helwig obs. med. 86. Schroek in adjecto schol. Deusingius in exam. pulv. sympath. p. 65.

(25) E. c. ex infuso herbae centaureae minoris, seminum cumini, carvi, anethi, cum oleo lini.

cae (26), *cucurbitulae siccae* cum flamma regioni umbilici admotae, aut *emplastra anodyna* (27) universae ventris superficiei admota inserviunt. Usui vero interno inserviunt *aquae* sive *menthae crispae*, sive *anethi foeniculi* cum *tinctura radicis rhei palmati aquosa*, pauca tamen quantitate, ne alvus vehementer moveatur (28), et sub magnis angustiis *aether aceticus*, *sulphuricus*, et libentissime *nitricus alcoholisatus*, inprimis cum *succinate ammoniae empyreumaticae liquido*, ipsumque demum *opium* (29). Praesente magna epigastricae

(26) E. c. ope olei nucis moschatae expressi, balsami vitae Hoffmanni externi, spiritus lavendulae compositi, roris marini, aquae Reginae Hungaricae etc.

(27) E. c. Emplastrum antihystericum Sydenhami, E. anodynum Fulleri, E. de galbano crocatum cum opio, et camphora, E. aromaticum Pharm. Borussicae, E. resolvens Schmuckeri, maxime vero *emplastrum saponaceum* Barbetti mihi usitatissimum. Debent autem haec emplastra cum diligentia super alutam extendi, ac margines cum emplastro diachylon cum gummatis, adhaesionis gratia, circumdari.

(28) Renouart, ergo flatulentiae hypochondriacae cathartica mitiora. Paris 1638. Legier, ergo hypochondriaci mollius expurgandi. Paris 1681.

(29) Praeterea fertur, opium eo in casu feliciter fuisse adhibitum, quo aeger mortem determinato die, determinataque hora exspectabat, cum illius ope in somnum conjiceretur.

regionis sensibilitate *emulsiones*, et res *mucilaginosae* (30) heroicis palmam arripiunt (31). Crepitus ventris (*), atque eructationes retineri non debent; neque istae vi extorquendae sunt.

ultra tempus indicatum protractum, atque vanitatis timoris optimum testimonium.

(30) Semina malvae jam apud Aetium in usu erant. (Tetrab. II. serm. 2. c. 10.).

(31) Nisi aegroti sub indicata medendi ratione de conaminibus nostris debita aequitate judicaverint, quaerant, qui illis melius succurrant. Lentilio enim assentio dicenti: « Magno onere liberatur medicus liberatus a paticnte moroso, immorigero, vago, et obmurmurante ». (Eteodr. med. pract. p. 559.). Legatur de eodem argumento Stahlii disp. *de aegro moroso*.

(*) Crepitus tussi dissimulandos esse Willich suadet (De crep. ventr. probl. 25. 29.).

Caput XVIII.

DE AMNESIA.

§. LXXVIII.

DEFINITIO. LITERATURA.

Definitio.

1. *Amnesia* (32) dicitur memoriae, seu facultatis ideas in mente antea perceptas reproducendi, aut reproductas recognoscendi, imminutio, vel abolitio.

Literatura.

2. De memoriae defectu legisse non poenitebit, praeter philosophos (53), Galenum

(32) Ab α negat. et μνήμη, memoria. *Lat.* Oblivio. *Germ.* Verlust des Gedachtnisses, Vergessenheit. *Gall.* L'oubli, perte de mémoire. *Angl.* Loss of memory. *Pol.* Niepamiec.

(33) Aristoteles c. II. Lib. de memoria, et reminiscentia. Cicero L. I. ad Herenn. Plinius hist. nat. L. VII. c. 24. Scaliger exercit. 307. Cancellieri *dissertazione intorno agli uomini dotati di gran memoria, ed a quelli divenuti smemorati. Roma* 1815.

(34) HARTUNGUM (35), ITTIGUM (36), GRATAROLUM (37), SCHENKIUM (38), HORSTIUM (39), FRIDERICIUM (40), VOGLERUM (41), MEJERUM (42), VATERUM (43), CRAUSIUM (44), WEDIGIUM (45), VAN ZYLUM (46), WEDELIUM (47), WINTERUM (48), PEZOLDUM (49), JANTKEUM (50),

(34) Cap. I. de differ. sympt. Cap. 6. de motu muscul. Lib. III. cap. 4, et 5. de locis affect.

(35) Diss. de memoria, et oblivione. Lips. 1622.

(36) Diss. de memoria, et oblivione. Lips. 1644.

(37) De memoria reparanda, augenda, servanda, v. opusc. p. 405.

(38) Lib. I. obs. 128.

(39) Disput. de memoria conservanda.

(40) Diss. de memoriae laesione, seu obliv. Jen. 1668.

(41) Mnemosynolgia. Jen. 1676.

(42) Diss. de memoria laesa, seu oblivione. Basil. 1687.

(43) Diss. de natura, et cura memoriae. Witemb. 1686.

(44) Diss. de memoria, ejusque remediorum natura, usu, et abusu. Jen. 1696.

(45) De memoria praesertim labili. Wittemb. 1691.

(46) De memoria, ejusque vitiis. Lugd. Bat. 1694.

(47) Diss. exhibens aegrum debilitate memoriae laborantem. Jen. 1696. Idem de oblivione. Jen. 1704.

(48) Diss. de memoriae statu naturali, et praeternaturali. Rintel. 1698.

(49) Diss. de oblivione memorabili. Lips. 1703.

(50) Diss. de memoriae laesione. Altdorf. 1735.

Richterum (51), Baumerum (52), Platnerum (53), et Crichtonum (54).

§. LXXIX.

SYMPTOMATA. CAUSSAE.

Symptomata.

1. Memoria varia offert phaenomena; alii enim rerum imagines facile recipiunt, receptas vero cito dant oblivioni, e. c. infantes; alii ad recipiendas rerum imagines tardi sunt, iisdem vero diu conservandis sunt tenacissimi, e. c. homines levi imaginatione praediti; alii leviora tantum custodiunt, quae vero majore indigent consideratione, ne apprehendunt unquam, e. c. feminae; alii contrario plane modo se habent, e. c. viri seriis occupationibus adsueti; alii vix, ac non nisi post longum temporis intervallum paucarum rerum, aut nominum recordantur

(51) Diss. de natura, labe, et praesidiis memoriae humanae. Goetting. 1752.

(52) Diss. de memoria, ejusque labe, et praesidio. Erford. 1760.

(53) De vi corp. in memor. Lips. 1767. Specimen. Pathologia ad cognoscendas memoriae vicissitudines necessaria. v. Balding. sylloge. T. III.

(54) Op. c. 2. B. 4. Cap. p. 181.

(*amnesia levior*); alii quidem recordantur, sed alio modo, inverso ordine, non recto tempore, ac loco (55) (*amnesia*); alii tandem nihil, ne proprio quidem excepto nomine (56), recordantur (*amnesia perfecta*). Postremo peculiarem memoriae jacturam, quae ad quosdam vitae periodos restringitur, ac cum sic dicto *somno magnetico duplicato* (57) magnam similitudinem alit (58), silentio non praeteribimus.

(55) Comes Bennigsen, exercitus Rossici supremus dux, vir in aeternum venerandus, mihi de praefecto quodam militum narravit, qui recordabatur quidem, se obsessioni urbis cujusdam munitae interfuisse, ast oblitus est, num ipse inter obsessos, num inter obsidentes fuerit.

(56) Cfr. C. V. §. XXV. 2. (94. 95.). Messala Corvinus, referente Plinio (l. c.), integris licet sensibus, proprii nominis oblitus est. Spectant huc versus Lucretii (L. VI.):

« Cepit oblivio rerum
Cunctarum, neque possent cognoscere ut ipsi. »

(57) Heinecke (Op. c. p. 59.) et Kluge (Op. c. p. 177.), cum quibus cfr. Darwin (*Zoonomia etc. A. d. E. ubers.* v. Brandis. *Hannov.* 1795. 2. *Abth.* p. 327.) et Reil (*Rhapsodien etc.* p. 81. 83.).

(58) Diarium americanum, *med. Repository* an. 1816, mense januarii, observationem continet a Doctoribus Mitchill, et Nott traditam, virginis scilicet mediae aetatis, ingenio, et notionibus haud communibus praeditae, quae antea semper sana sine nota caussa, et derepente in somnum

Caussae.

2. Nil aliud tam fragile est in homine quam memoria, cui insidias struunt vitium haereditarium (59), cranii peculiaris conformatio (60),

profundum ad plurimas horas ultra tempus solitum protractum incidit, ex quo memoria tam verborum, quam rerum orbata, expergefacta est. Studia iterum ab *ABC*, celeri tamen passu, incepit. Elapsis nonnullis mensibus, en novus sopor, ex quo suscitata, iterum eum in statum incidit, in quo ante primum somnum versabatur, nullam nunc memoriam de rebus, quae postea, inter primum scilicet, et secundum somnum, acciderant, conservans. Accessit et tertius soporis paroxysmus, post quem illam de novo acquisivit memoriae conditionem, in quam post secundum accessum inciderat, ubi scilicet omnium, quae ante morbum addidicerat, oblita erat, et sic dein, ita ut *duplicem existentiam* habuerit post quemvis soporis paroxysmum mutatam. Enimvero post 3. 5. 7. etc. accessum soporis nil plane de rebus, quas a juventute didicerat, sciebat, et eas solum possidebat notiones, modicas admodum, quas in brevi spatio, quod inter primum, et secundum paroxysmum locum obtinuit, addiscere potuerat. Post 2 autem, 4, 6, etc. somni paroxysmum in pristinum statum, uti inter nativitatem, et primum paroxysmum erat, de novo incidebat, notionibus permultis insignitum. Aegra in uno statu de altero nil sciebat, ac sibimet ipsi plane aliena fiebat!

(59) Friderici l. c. cap. 5.

(60) Qui acuminato sunt capite et fastigiato, memoria non pollere, est observatio Homeri (Iliad. ubi Thersites descri-

ejusdem laesiones (61), ut lapsus (62), contusio occipitis (63); porro imbecillitas infantilis (64), vel senilis (65), clima (66), frigus (67),

bitur). Arabes, teste inprimis AVICENNA (L. I. can. Fen. 1. Tr. 6. c. 5. et 3. can. fen. 1. Tr. 2. 6.), in occipite sedem memoriae quaerentes, illam calvariae partem quatenus non satis evolutam, pro caussa amnesiae agnoscebant, quam sententiam amplexi sunt SENNERTUS (Inst. l. c.), TULPIUS (L. I. c. 24.), FERNELIUS (L. VI. c. 15.), FRIDERICI (l. c. cap. 3.) aliique. GALL sedem variarum specierum memoriae in oppositam plane cranii partem locavit, nec facta opinionem suam, praesertim relate ad memoriam localem, comprobantia desiderantur.

(61) PELARGUS *med. Jahrgange.* 3. B. p. 68. MEYER *anat. Abhandl. v. Gehirn.* Berl. 1779. p. 4.

(62) PLIN. l. c. SCHENK obs. L. I. N. 136.

(63) TULPIUS obs. 4. ZACUTUS LUSITAN. Curat. 32.

(64) Opinio QUINTILIANI pueros memoria excellere, a RHODIGINO (L. XX. c. 8. antiq. lect.), SENNERTO, et PLATERO (l. c.) in dubium vocatur, et quidem jure, si agitur de memoria rerum, et non verborum.

(65) ISOCRATES (in Panathenaico) de se ipso dicit: « Nihil nunc restat, nisi ut petita venia senectuti meae oblivionis, et loquacitatis, quae vitia nostram senilem aetatem comitari solent, ad locum istum redeam... » Cfr. ARISTOTELEM. Sect. 30. probl. 5.

(66) Teste GALENO (6. epidem. com. 6. §. 8.), Athenienses erant sagaces, et ingeniosi, contra Thraces segnes, et *obliviosi.*

(67) MERCATUS (Lib. de intern. morb. curat. c. 19.) asserit

aquarum ignota adhuc conditio (68), ebriositas (69), inprimis ex cerevisiae potu (70), inedia (71), esus ceparum, allii, raphani (72), venus (73), vita sedentaria (74), otium (75),

milites per montes nivosos iter instituentes memoria orbari.

(68) Id poëtarum de *fluvio Lethe* figmentum designare videtur. Quid quod refert Plinius in Boeotia ad Trophonii specum juxta flumen Orchomenon duos esse fontes, quorum alter memoriam, alter oblivionem adducit.

(69) Ait Plinius (l. c. cap. 22.): « Praemium summum ebrietatis rerum omnium cblivio, morsque memoriae ».

(70) « Unde suum, nescis, ducat cerevisia nomen? quod cerebrum visat ».

(71) Galen. l. c. Zacut. Lusit. Prax. mirab. L. II. hist. 43.

(72) Sic Forestus Lib. X. obs. 32. et Wedel l. c. p. 8. Verum judaei Lithuani, qui tali victu fere exclusive vescuntur, ac nihilominus tria quaterve idiomata loqui solent, contrarium testantur.

(73) Haec ut pestis ingenii inter praecipuos studiosorum hostes jure meritoque numeratur a Marsilio Ficino (Lib. de studiosor. valetud. tuenda. c. 8.), a Roderigo a Castro (Tract. de affect. mulier. L. I. c. 15.), et a Gilgio (Diss. de memoriae laes. ex nim. veneris usu oriunda. Altorf. 1691.).

(74) Rolfinkius in method. medend. spec. comm. L. II. sect. 3. c. 53.

(75) Hinc Cato major: « Otium imminuit memoriam »: et Seneca: « Memoria nil perdidit, nisi quod saepe non respicit ».

lucubrationes (76), metus (77), terror (78), venena (79), potissimum narcotica (80) purgantia (81), venaesectio (82), vitia abdominalia (83), praesertim haemorrhoidalia (84), menstrua aberrantia (85), quammaxime vero morbi praegressi, ut febres (86), praecipue pestilen-

(76) Hinc dictum: « Studeo, studui, habet in supino stultum ». Cfr. SCHENK obs. L. I. N. 130.

(77) Ex metu, turbine facto repentino, milites oblivione praegressorum affectos fuisse, tradit CAEL. AURELIAN. c. 5. L. 5. Cfr. MARCELLUM DONATUM L. III. c. 13. p. 285. Et examina academica idem confirmare solent.

(78) ARTEMIDORUM grammaticum, quod inopinate crocodilum conspexerat, literarum oblivionem cepisse narrant. SCHENK l. c.

(79) FRIDERICI (l. c.) ad exemplum Bambae Regis Gothorum provocat. *Arsenicum* in specie accusatur in BALDINGERI *neuem Magazin.* 11. B.

(80) E. c. conium maculatum, observantibus PLATERO (obs. Lib. 1. p. 5.), et POUTEAU (*oeuvres posth.* T. I.). In infantibus memoria in primis a remediis somnum conciliandi gratia exhibitis labefactatur.

(81) SALMUTH c. 2. obs. 45. PAULLINI lanx. sat. D. V. obs. 2.

(82) Eph. nat. cur. Dec. II. an. V. obs. 140.

(83) Consilia Italorum quorundam. Consil. 18.

(84) Primitiae physico-medicae. Vol. III.

(85) BARTHOLINUS act. Hafn. T. II. obs. 78.

(86) PAULINI Cent. IV. obs. 79. JUCH diss. sistens cas. de singul. imbecill. ex febre maligna. Erf. 1731. *Perfectam am-*

tiales (87), cephalaeae (88), encephalitis (89), hydrocephalus (90), apoplexia (91), cataphora (92), hypochondriasis (93), mania (94), epilepsia (95), colica (96), aliique (97). *Caussam* amnesiae *proximam*, quae haud raro in debilitate quaeri potest, quondam in defectu ca-

nesiam post typhum ann. 1806. Vilnae observavi in viro quadraginta annorum.

(87) THUCYDIDES L. II. de Bello Peloponensi. DIODORUS SICULUS Lib. XII. HIPPOCRATES L. III. epidem. SCHENK l. c. obs. 142. ZACUT. LUSITAN. l. c. hist. 44.

(88) Cap. II. §. XI. 1., et FORESTUS Lib. IX. obs. 63.

(89) Cap. III. §. XVII. 5.

(90) Cap. IV. §. XXII. 4. (59).

(91) Cap. V. l. c. PLATER obs. 16. FORESTUS L. X. obs. 1. 32.

(92) Eph. nat. cur. Dec. III. ann. IX. et X. obs. 124. BLANCARD collect. med. phys. Cent. IV. N. 83. Et supra §. XXXI.

(93) Cap. XVII. §. LXX. 1. PLATER L. I. obs. 1.

(94) Cap. XXV.

(95) GALENUS Lib. III. de loc. affect. c. 6., et quotidiana experientia.

(96) VATER diss. de memoriae laesione ex colica spasmodica. Vittemb. 1722.

(97) A VEGA de arte medend. L. III. c. 10. BENIVENIUS de abditis morborum caussis.

loris (98), aut siccitate cerebri (99), vel etiam in vitiis plane oppositis quaerebatur, quarum hypothesium, cum multum in praxin influxerint, memores esse juvabit.

§. LXXX.

DIAGNOSIS. PROGNOSIS. CURA.

Diagnosis.

1. Ingruentis amnesiae vel minima signa non sunt spernenda; nisi enim grave aliquod malum annuntiant, jam per se morbum omni commiseratione dignum (100) designant: sola enim injuriarum oblivio laudanda.

(98) « Manifestum est, inquit GALENUS, fatuitatem, et oblivionem ex refrigeratione cerebri fieri ». (l. c. cap. 5.). Cfr. AEGINETA (L. III. c. 2.) et FORESTUS (L. X. obs. 32.), a GALENO non dissentientes.

(99) « Itane antipho est immemoris? Itane est madida memoria? ». CAECIL. in Epiclero.

(100) Sicuti exempla hominum stupenda memoria praeditorum a CRICHTONIO (l. c. p. 203.), et CANCELLIERIO (l. c.) allata legitimae invidiae excitant sensum; ita exempla jacturae facultatis hujusmodi non immerito pro sapientiae fonte, et scientiarum matre declaratae a BONETO (Medic. septentr. L. I. sect. 9. c. 2), et BOERHAAVIO (Praelect. ac. in Inst. med. ex ed. HALLER. Vol. IV. p. 463.) descripta, praesertim si in hominibus doctis obveniant, lacrymas eliciunt.

Prognosis.

2. Graviora, quae ab amnesia annuntiari solent, mala sunt apoplexia (1), et epilepsia (2). Quae cum febre (3), levi delirio (4), aut diarrhoea (5) obvenit amnesia, haec minoris plerumque est momenti. Contrarium valet de oblivione, effectu senectutis, febrium (6), inveteratae apoplexiae, aut epilepsiae.

Cura.

3. Memoria roboratur exercitio (7), scriptio-

(1) Cap. V. §. XXV. 1.

(2) « Si homini, reliquis salvo, subito deficit memoria, timendum, ne *comitialis morbus* superveniat, aut syderatio, vel resolutio, aut aliud quoddam cerebri malum ». Aetius l. c.

(3) Moebius (Institut. p. 400.) febrem arthriticam amnesiam sanasse ex Weberi (Obs. med. Fasc. II. p. 67.) observationibus comprobat.

(4) Moebius l. c.

(5) Amnesiae a superveniente diarrhoea fugatae exemplum Dodonaeus (Obs. cap. 47.) habet.

(6) Attamen aeger, de quo supra (§. praec.), sanus evasit.

(7) « Utique maximum est memoriae beneficium, ita et conservandum merito, eoque utendum; sin secus fiat, instar privilegiorum non utendo amittitur ». Wedel.

ne (8), mutuo sensuum auxilio (9), aliisque regulis a scriptoribus de memoria artificiali, seu *arte mnemoneutica* (10) traditis. Interea, ne quid nimis (11)! Auxiliis physicis memoriae

(8) Maximum memoriae adminiculum esse scriptionem, Baco testatur (L. V. de augment. scient. c. 5.).

(9) Versus, quos memoriae committere studemus, non solum legendi, sed recitandi sunt, ut visus ab auditu sustineatur.

(10) Haec ars a Simonide Ceo detecta, et per Metrodorum scepticum perfecta, sequentibus illustrata est operibus Matthaeolus de memoria augenda per regulas, et medicin. 1486. Perusinus artis memorativae s. de praeceptis artificial., et regulis med. ad augend. memor. tractat. Arg. 1498. Ryff de memoria artific. opusc. Argent. 1541. Blondus libell. de memor. Venet. 1545. Rogani de memoria reparanda, augenda, servanda. Romae 1558. Monsleo artificium memoriae. Neap. 1567. Menzinger de memoria confirm. praecepta. Argent. 1568. Rosellius thesaur. artificios. memoriae. Venet. 1579. *Discours pour conserver, et augmenter la mémoire. Lyon* 1586. Ravennati Phoenix s. artificiosa memoria. Vicent. 1600. Bruxii Simonides redivivus, seu ars memoriae, et oblivionis. Lips. 1610. Meyssoneri Pentagonum philosophico-medicum, seu ars novae reminiscent. Lugd. 1639. Willisius de memoria naturali fovenda, in collect. de arte memoriae. Lips. 1674. Joh. Cph. *Freyhe.* v. Aretin *system. Anleit. z. Theorie u. Prax. d. Mnemonik. M.* 3. *Kpfn. Munch.* 1810. 8.

(11) De memoria artificiosa dicit Baco (l. c.), posse per eam nonnulla portentosa, et mirabilia perfici, sed similem esse funambulorum, et mimorum agilitatibus, et ludicris: ete-

labefactatae secundum indicationes generales (12) pro re nata occurrimus: *venaesectione* (13), *cucurbitulis cum scarificatione* (14), *vesicatoriis* (15), *fonticulis* (16), *setaceis* (17), *cauterio actuali* (18), *lotionibus* (19), et *unctio-*

nim eaedem ferme res sunt; cum haec corporis, illa animi viribus abutantur, et admirationis forte aliquid habeant, dignitatis parum.

(12) Cap. I. §. VI.

(13) Veteres amnesiam a defectu caloris cerebri repetentes, ex hypothesi venae sectionem hic proscripserunt. Locum tamen eadem habere debet, si oblivio apoplexiam in plethoricis annuntiat.

(14) Solenander consil. med. p. 126. Applicantur occipiti, inter scapulas, ad brachia, et crurum internam superficiem.

(15) Retro aures poni solent.

(16) Ad basin cranii. Sic habuit aeger, de quo supra (c. V. §. XXV. 2.), quique plane convaluit.

(17) Rolfinkius method. med. spec. com. L. IV. Sect. 5. P. I. c. 3.

(18) Severinus pyrotechn. chir. L. II. P. I. c. 10.

(19) Wedelio in usu erat lotio capitis cum *herbis majoranae, melissae, foliis lauri* in vino decoctis. Celebratum erat *lixivium sapientiae* Mynsichtii ex spicis lavendulae, floribus rosarum, herba rorismarini, radicibus ireos florentinae concisis in sacculo lineo inculsis, et in *lixivio* per unam, alteramve horam ante lotionem capitis infusis. Absente vitio arthritico, aut rheumatico, *lotionibus frigidis* capitis locus est. v. Dauter *v. Gebrauche d. kalt. Wassers. p.* 38.

nibus capitis (20), *cucuphis* (21), *apophlegmatismis* (22), *odoramentis* (23), *balneis* (24), *clysteribus* (25), *eccoproticis* (26), *emeticis*

(20) Instituuntur vel ope *essentiae lavendulae*, vel ope unguenti ex oleo amygdalarum, albumine ovi, et lacte muliebri, vel ope *balsami mnemocephalici* (VOGEL *Formel u. Recept. Lex. p.* 137.) a SENNERTO admodum laudati, ad magnitudinem pisi naribus, et meatibus auditoriis quotidie et elapso duorum mensium spatio, alternis diebus, illiniti. Suadetur et sequens *balsamum* nuchae illiniendum (cur non regioni supraorbitali, quam involuntarie, si quid ad memoriam revocare desideramus, perfricare solemus?). R. Olei nucis moschatae expressi drachmas duas: olei essentialis lavendulae, et rutae aa guttas decem: moschi, et ambrae aa grana quatuor.

(21) E. c. herbarum melissae, lavendulae, mari veri, basilici aa drachmas duas: florum rosarum pugillos tres: radicis ireos florentinae drachmam unam: benzoës, succini albi aa drachmam semis: moschi grana tria: olei rosarum essentialis guttas duas. M.

(22) E. c. globus ex pulvere radicis zingiberis, pyrethri, et masticheś cum melle paratus.

(23) R. Styracis, moschi, ambrae, benzoës, olei cinamomi, lavendulae, et balsami peruviani quantum arridet; fiat inde bolus. Involvatur gossipio, et thecis argenteis perforatis, et habeatur ad manus.

(24) Cum herbis aromaticis.

(25) E. c. ex infuso radicum paeoniae, herbis betonicae, florum chamomillae, seminibus foeniculi cum sale.

(26) Suadetur *electuarium lenitivum*.

(27), *radicibus acori calami* (28), *anthemidis pyrethri* (29), *herbis dracocephali moldavici* (30), *origani majoranae* (31), *rutae graveolentis* (32), *boraginis officinalis* (33), *seminibus sinapis nigrae* (34), *urticae dioicae* (35), *floribus arnicae montanae* (36. *corticibus lauri cinnamomi*, et *sassafras*, *ligno guajaci officinalis* (37), *thure* (38), *nuce moschata* (34), *cubebis* (40), *ebore*, et *cornu*

(27) Dummodo plethora ad caput non urgeat.

(28) Avicenna.

(29) « Memoriam valde juvat » Plater l. c.

(30) *Melissam* mire ingenium acuere, et hilaritatem producere creditum est.

(31) Uti de melissa, ita de majorana . . itabant.

(32) Succus recenter expressus a Donato ab Altomare commendatur, teste Friderici l. c.

(33) Ab Horstio l. c., multisque aliis laudatur, inprimis si flores, et folia vino, et cerevisia infundantur (quibus ultimis forte magis quam boragini virtus tribuenda est).

(34) De actione sinapis in cerebrum pluries jam monui.

(35) Donatus ab Altomare l. c.

(36) Aegrum, de quo supra, uno hoc remedio sanavi.

(37) Junker tract. de ligno sancto. Cap. de memoria. Hildesheim spicileg. 3.

(38) Plater l. c.

(39) Horstius l. c. Hercules Saxonia in usu habuit rotulas factas ex nucis moschatae N. 2: caryophyllis N. 6: ligno aloës uncia una: saccharo tenuissimo soluto in aqua rosarum.

(40) Maxime ab Amato Lusitano celebrantur.

cervi (41), *castoreo*, *moscho*, *ambra*, *muriate hydrargyri miti* (42), et *vino* (43). *Regimen diaeteticum*, praeter fugam caussarum, consistit in motu corporis (44), praesertim in aëre libero montano, in cibis ex regno animali petitis (45), in somno modico, in pectinatione (46), in moderamine animi pathematum, concessa quodammodo ira (47), in

(41) Aetii arcanum erat.

(42) Dum serosam colluviem in encephalo suspicamur.

(43) Praestantia hujus auxilii neque Homerum (Iliad. X.) latuit.

(44) Agitationem in curru profuisse Ephem. nat. cur. Dec. II. an. VI. obs. 147. docet.

(45) Cerebra leporum, perdicum, passerum, praeconceptae opinionis caussa, in usu fuerant; cur potius non elegerint cerebra avium migrantium, utpote stupenda memoria locali praeditarum, non video!

(46) Forte electricitas, aut magnetismus animalis de sequenti paragrapho ex opere Friderici (C. XI.) rationem reddere possent; « *Pectinationibus* inprimis opera danda. Et possunt hae fieri vel pectine eburneo diligenter a fronte cervicem versus, quadragesies pectine verso, auctore Marsilio Ficino (l. c.); vel *ferreo* peculiari modo fabrefacto, ut super carbones calefieri queat, quo dein caput pectinari hebdomatim semel vel pluries potest. Vel instituitur etiam *phalange digitorum*, in morem fere eorum, qui in pensis sylvis venantur bis quinque catellis ».

(47) « Ira interdum ad excandescentiam usque locum habere suo modo potest ». Friderici ac revera linguas extraneas nunquam melius loquimur, quam sub irae levioris insultu

exercitio memoriae (48) omissa omni philautia (49), adhibitoque summo ordine (50). Quondam et amuleta in usu fuerant (51).

Caput XIX.

DE MOERORE PROFUNDO.

§. LXXXI.

DEFINITIO. LITERATURA.

Definitio.

1. Dolor vel a praesentia mali alicujus, vel a bono, quod habuimus, amisso, vel a bono, quod expetimus, denegato oriens cum virium languore, animique abjectione, *moerorem* constituit *profundum*.

(48) « Saepe recordari medicamine fortius omni ». Wedel l. c. p. 17.

(49) Nosse morbum, pars curationis.

(50) Ordine nil ad studia proficuum magis, nil confusione exitiosius.

(51) Rhazes, upupae linguam suspensam oblivionem tollere existimat, alii amethystum.

Literatura.

2. De moerore, praeter auctores qui generatim de animi pathematibus scripserunt (52), legantur VOGHTER (53), et J. STAHL (54), nec non de *nostalgia* in specie HARDERUS (55), ZWINGERUS (56), TAKIUS (57), HEUBER (58), WERHOWITZ (59), CASTELAN (60), et PELLEGRINI (61).

§. LXXXII.

SYMPTOMATA. AUTOPSIA CADAVERUM. CAUSSAE.

Symptomata.

1. *Moeror* profundus, et acutissimus illius status *desperatio* pro re nata sequentia exhi-

(52) Cap. I. §. III. N. 9.

(53) Diss. de morbis moerentium. Altorf. 1703.

(54) De immoderato anxio moerore, morbi, mortisque auctore. Erf. 1732.

(55) De nostalgia. Basil. 1678. in HALLERI coll. diss. pr. T. I. N. 2.

(56) Diss. de pathopatrialgia. v. Fasc. med. sel. Basil. 1710.

(57) Diss. exhib. aegrum nostalgia laborant. Gies. 1707.

(58) Diss. de nostalgia. Wirceb. 1755.

(59) Diss. de nostalgia. v. EYERL coll. diss. STOLLII.

(60) *Diss. considerations sur la nostalgie. Paris* 1806.

(61) De nostalgia in ORSTESCHI diar. med. T. 4. p. 372.

bent symptomata, debilitatem videlicet, tremorem extremitatum inferiorum, flexionem genuum, cutim rugosam, siccam, asperam, vel et sudore profuso viscido coopertam, capillos flaccidos, faciem pallidam, collapsam, subflavam, oculos concavos, nitore destitutos, rnbros, exsiccatos, vel lacrymis innatantes, lucem aegre ferentes, aures rumorem respuentes, amorem solitudinis, animum nunc stupidum, et attonitum, nunc irritabilem (62), et ad injustitiam pronum (63), delirium, sub quo aut visiones objecti amissi, aut exclamatio illius nominis (64) occurrunt, agrypniam, somnum profundum, aut subsultibus, somniisque terrificis perturbatum, risum sardonicum, trismum (65), paralysin (66), lipothymiam, cordis oppressionem (*), palpitationem, angustiam, suspiria, pulsum parvum irregularem, saepe lentum (67),

(62) Observante jam PLUTARCHO.

(63) Medici moeroris effectus hnjusmodi memores familiis defunctorum plurima ob id condonabunt.

(64) E. c. in nostalgia. O mater mea! Aut: *Ich will heim, ich will heim!* HARDER l. c. §. 6.

(65) TISSOT Op. c. p. 381.

(66) CAMERARIUS de efficacia animi pathemat. p. 17. Pater meus in Principe C. C. a moerore ob mortem uxoris paralysin musculorum dimidii lateris faciei vidit.

(*) « Tristitia *cordi* nocet, et exsiccat ossa » SALOMON. prov. 12.

(67) Ad 36 in minuto primo hic numeravi.

frigus concutiens, calores fugaces, os amarum, halitum foetentem, sitim, ciborum aversationem, aliquando voracitatem (68), cardialgiam, colicam, alvi obstructionem, diarrhoeam, urinam copiosam peculiari odore instructam (69), evacuationes consuetas, inprimis menstrua, et haemorrhoides suppressas, maciem (*), aliaque infra tradenda.

Autopsia cadaverum.

2. Moerentium *cadavera* obtulerunt vasa cerebri cruore turgida (70), pulmones, et cor sanguine obrutos (71), cor praemagnum (72), venam cavam dilatatam (73), et calculos vesicae felleae (74).

Caussae.

3. Moeroris praecipue caussae sunt: jactura sanitatis, mors parentum, alterutrius conjugum,

(68) Nosco nonnullos, qui, quo graviori laborant moerore, eo majori etiam ciborum desiderio instruuntur.

(69) Elliot de urina moerentis violarum odore instructa refert (de med. stimul. p. 46.).

(*) Quantum sit imperium moeroris in processum nutritionis Moreau (*Mém. de la Soc. med. d'émul. T. II. p.* 178.), Reil (*Rhaps. p.* 289.), aliique docuerunt.

(70) Barcon obs. anatom. N. 1.

(71) Bonet sepulchr. T. I. p. 899.

(72) Viridet *traité du bon chyle. T. I. p.* 29.

(73) Lieutaud hist. anat. med. T. I. p. 135.

(74) Viridet Op. c. T. II, p. 631.

prolis, amicorum etc., amissio patrimonii, bonorum, potestatis, patriae, et desiderium inanem illam revisendi, vulgo *nostalgia* (75). Tali morbo, aliquando ad habitationem circumscripto (76) subjiciuntur praesertim incolae rerum publicarum, maxime nativi Alpium (77), ut Helveti, generatim populi, qui illum culturae gradum, quo homo cosmopolita redditur, sc necdum attigisse gloriari possunt, milites, et nautae in aeternum a laribus abrepti, ad longinquas regiones missi, juvenes, praesertim ii, qui blandius a matribus pertractabantur (78), doctrinarum universitates extraneas adeuntes etc. Haud raro nostalgiae malum veluti ignis sub cineribus latet, donec for-

(75) A *Gr.* νόστος, reditus, et ἄλγος, moeror. *Synon.* nostomania, nostrassia. *Germ.* Heimweh. *Gall.* Maladie du pays. *Angl.* Longing for home, brokenheart. *Pol.* Tesknota do swoich.

(76) Aretaeus (Art. med. principes ex rec. Haller. Lausan. 1769 T. V. p. 60.) de fabro lignario narrat, qui quoties propriam officinam derelinquebat, toties anxietate, suspiriis, et delirio prehendebatur, quae domum redux cessabant.

(77) Quantum aëris conditio ad nostalgiam excitandam valeat, docere conatus est Scheuchzer in comm. Bonon. T. I. p. 307.

(78) *Germ.* Mutter Sohulein, die Mumen Kindlein. v. Willius in diss. II. de philiatrorum Germanorum itineribus.

tuito a cantilena naturali (79), ac adspectu eorum, qui ejusdem sunt civitatis, a morbis (*), ab epistolis etc. excitatur.

§. LXXXIII.

DIAGNOSIS. PROGNOSIS.

Diagnosis.

1. *Diagnosis moeroris occulti* ex praesentia symptomatum allatorum, praesertim ex physionomia, suspiriis, lacrymatione, frigore corporis, sudoribus, et pulsu, nec non ex absentia signorum morbum alterius generis indicantium deducitur. Adjuvant perscrutatio affinium, famulorum, ipsiusque vulgi blaterantis. *Simulatus moeror* ex nisu sese patefaciendi, et ex magnis jactationibus cognoscitur. Realis enim, et profundus moeror mutus est, ut ait Seneca: « curae leves loquuntur, ingentes stupent ». *Nostalgia* saepe sub forma *febris typhodis lentae* (80) latet. Extat malum illi oppositum

(79) E. c. cantilena helveta; *der Kuhreihen*, *la ranz des Vaches*. V. *Bresl. Sammlung*. 1778. p. 832. et Baldingers *n. Magazin*. 10. B. p. 405.

(*) Moreau l. c. p. 192.

(80) P. I. Vol. I. §. LIV. 1.

hic per transennam nomine *impatientiae loci* commemorandum (81).

Prognosis.

2. A moerore, et desperatione, inprimis si terroris sint effectus, haud pauca exempla mortis improvisae numerantur (82). Plerumque tamen moeror morbis lente decurrentibus ansam porrigit, ut vitiis cordis, et venarum (83), pneumonorrhagiae, et phthisi pulmonali (84),

(81) Sunt homines, qui nulla in regione, urbe, aut domo diu morari queunt. Quorum alii candide fatentur, se de tali *situm mutandi nisu* rationem reddere non posse; alii molestias ubique inevitabiles, ut caussam adducunt. Homines hujuscemodi praesertim inter professores doctrinarum universitatum obvenire solent. Spectabant ad eos quoque PETRARCA, et ALFIERI, qui de se ipso dicit: « *Io già di bel nuovo mi sentiva incalzato dal furore dell'andare* (*Vita di* V. ALFIERI *da Asti*, *scritta da esso. Lucca* 1814).

(82) STAHL de passion. animi Th. 23. *Ecole milit.* T. I. p. 6. GAUBIUS serm. ac. alter. p. 27. HENAULT abr. chron. T. I. p. 363. et 383. BONET sepulchr. T. III. p. 220. TISSOT l. c. p. 377. RUMLER obs. 6. MARCELLUS DONATUS L. III. c. 13. p. 182.

(83) TISSOT (l. c. p. 373.) ait: ALBERTINI *avoit déja observé, que le chagrin produit plutôt des dilatations dans les veines, que dans les artères.*

(84) Virgines plures novi signa evidentia tuberculorum pulmonis exhibentes, ast coeterum vitam sat incolumem du-

obstructionibus viscerum abdominalium, scirrho mammarum, uterique, abortui etc. Qualiscunque autem morbus a moerore excitatus fuerit, is semper solito gravior observatur (85). Immo nostalgia, nisi cito tolli queat, utplurimum mortem properat. Notandum etiam, moerorem curam aliorum morborum impedire, ac virtutem pharmacorum eludere.

§. LXXXIV.

CURA.

Generatim.

1. Moeroris *cura* bifaria est; quarum altera *consolationem*, altera *auxilia chirurgica*, *pharmaceutica*, et *diaetetica* respicit. Per illam morbum ipsum aggredimur: per hanc illius temperamus effectus.

centes, donec profundus moeror accessit, quo facto, praevia plerumque pneumonorrhagia, phthisis cursu citato evolvebatur.

(85) AUERSBACH apud ERNTEL Varsav. phys. illustr. p. 168. TISSOT (l. c. p. 379.) inquit: « *Je me suis plaint, il y a plus de vingt ans, que les maladies occasionnées par le chagrin étoient presque toujours facheuses* ».

Consolatio.

2. Consolatio (86) caussae moeroris adaptanda (87). *Si haec in morbo dolorifico taediosae curationis locata sit*, medici assiduitas duplicata, sollicitudo in minimis incommodis leniendis, enarratio casuum similium ab aliis patientia superatorum, et alia hujus generis optimam consolationem afferunt. *Moerore ex interitu objecti amati oborto*, in primo limine nec verbum consolationis, quoniam semper importunum, proferendum. Curari solum debet, ut moerens ab amicis, aliisque luctum percipientibus circumdetur; lacrymae enim a lacrymis optime eliciuntur, ad quas obtinendas maximum impendendum est studium. Quamobrem si, ela-

(86) Utinam Ciceronis liber, quem ob amantissimae Tulliae obitum *de consolatione* inscripsit, ante nostra haec tempora non intercidisset. Interim quod in Cicerone fuit amissum, in Boethio nobis fuit restitutum (Jul. Martianus Rota in vita Boethii). Accessit Lipsius in libr. duob. *de Constantia*, et Edelmann in diss. philos. de officio consolandi, sive luctum erecta ratione minuendi. Lips. 1689 edita. Haud dudum Desmoutier idem argumentum eleganter pertractavit (*Oeuvres*).

(87) « Nam ut medici, caussa morbi inventa, curationem esse inventam putant; sic nos, caussa aegritudinis seu doloris reperta, medendi facultatem reperiemus. » Cicer. Tusc. quaest L. III.

pso uno alterove nychthemero ab infortunii tempore, oculi adhuc arescant, ad moerorem consulto impellimus tum qualitates objecti amissi enarrando, tum illius extollendo pretium. Mos cadaveri valedicendi, si fieri licet, reprimendus, ne loco unius duo occidant funera (88). Inter ea hic quoque exceptiones occurrunt, vidimusque miseros a tali ultimo, frigidoque amplexu quietiores evasisse. Quaestio saepe instituitur, num domus infortunii testis a superstitibus derelinquenda sit, nec ne? Non derelinquenda, ne redeundo, semisanatum vulnus iterum saucietur. Neque res per adsociationis leges ideam defuncti revocantes removendae sunt; cum harum rerum inconsueta absentia longe magis, quam ipsa earum praesentia, tristes excitare soleat ideas. Commutata desperatione in chronicum moerorem, quaedam solitudo, inprimis rusticana (89) non impedienda. Ast ne quid nimis, ne simplex hominum evitatio in fugam, atque fuga in misantropiam degeneret. Cum raro infortunium adveniat, alia mala, e. c. curae domesticae, et similia plerumque attentionem moerentis magis magisque

(88) Apud auctores supra allatos (§. praec. 2. (82.)) nonnulla exempla hominum sic demortuorum occurrunt.

(89) « *L'homme profondément affligé ne se console qu'avec la nature.* » Desmoutier l. c.

ab objecto amisso distrahunt. Idem itinera, socio amico, efficiunt. *Nostalgiae* spes patriam revisendi, commercium cum iis, qui ejusdem sunt civitatis, aut saltem idem loquuntur idioma, victus nationalis, et bona hospitum officia opponenda sunt. Si ea effectu destituerentur, reditus in patriam, etiamsi debilitas aegri itineri obstare videatur, sine mora properandus. Ad medici officium rarius spectat moerentes ex jactura patrimonii, bonorum, potestatis, spei frustratae, philautiae laesae consolandi, interea tali sese exhibente opportunitate, et quocunque demum in casu, ad mentem revocandum: nil in natura dari stabile, praeter ipsam rerum inconstantiam: omnia fluxui, et refluxui subjecta, et infirma (90), atque humana esse, ideoque tolerabilia, quod et tulerint caeteri, et adhuc alii ferant: multa bona proprie ad hominem non pertinere ita, ut homo, qui in illis suam quaerit felicitatem, nubem pro Junone amplectatur: mortem omnes sub leges

(90) Hippocrat. aph. 3. Mente tenendum est illud Nazianzeni carmen praec. ad Virgil.

.... Terram properamus ad unam.
Quocirca nec te praesentis commoda vitae
Immodice oblectent, nec rursus tristia frangant,
Tristia namque simul, et jucunda necesse est
Linquere cuncta brevi...

suas atras vocare: multa non esse mala, quae videantur (*): mala praebere occasionem virtutes exercendi: dolore malum minui non posse: immo dolorem malum malo addere: felicitatem in animi tranquillitate consistere, non gemmis, et auro emi: bona, quae vel habemus, vel speramus, amissis non esse postponenda, et similia. Quibus singulis fides in Deum, submissio illius voluntati, vitae melioris certitudo, aliaque ex sancta Religione Christiana petita argumenta caeteris palmam longe praeripiunt.

Auxilium chirurgiae, aliaque externa.

3. Si moeror derepente, praesertim ex terrore ingruat, si aeger plethoricus sit, si de gravida agatur, si cerebrum, cor, ventriculus, aut hepar doleant, sique fluens cum emolumento cruor retineatur, *venaesectio* nunquam negligenda; hujus enim neglectio, ob praeconceptam opinionem, animi pathemati deprimenti auxilium debilitans non esse opponendum, gravissimis morbis liberum saepe concessit aditum. Circa loca maxime affecta, aut ex quibus antea cruor cum levamine fluebat, *hirudines* ap-

(*) « *Il n'y a point de malheur, auquel on ne puisse trouver quelque consolation; et il y en a plusieurs, que l'on peut, par une conduite judicieuse, faire tourner à son avantage.* »

applicandae. Alvus *clystere antiphlogistico* sollicitanda. Ad noctem *pediluvium* tepidum. Provecto jam malo, praesertim agrypnia, et cuti sicca stipato, *balneum amoene calidum* levamen adducit.

Pharmaca.

4. Moerore confectos pharmacis obruere velle, absurdum foret. Interea sub iisdem rerum positionibus, sub quibus venaesectionem commendavimus, et *emulsio ex quatuor sic dictis seminibus frigidis majoribus, et minoribus*, aut alia quaedam, addita *nitratis potassae* modica dosi, utiliter praescribitur. Perstante vasorum sanguiferorum, irrita methodo antiphlogistica, turba, ad *acida vegetabilia*, et, si haec nil efficerent, ad *acidum sulphuricum alcoholisatum*, nec non ad ipsum *foliorum digitalis purpureae infusum* confugiendum foret. In minori moeroris gradu, et absente plethora, *pulvis antispasmodicus ruber* Stahlii cum *aqua* quadam *aromatica* (91) egregie conducit. A remediis spirituosis, calidis, excepto solo *aethere nitrico alcoholisato*, abstinendum. In moerore

(91) Sequens formula mihi familiaris hic est: R. Aquae melissae uncias sex: pulveris antispasmodici rubri Stahlii drachmam unam: spiritus nitri dulcis scrupulum unum; syrupi papaveris rhoeados unciam unam. M.

chronico, et nostalgia pharmaca amara, leniter tonica, et, praesente jam febre lenta, methodus alibi indicata (92) adhibenda.

Auxilia diaetetica.

5. In gravi, et repentino moerore nil pejus quam si aeger ad cibos, inprimis carneos sumendos adigatur. Exhibeatur illi solum *potus* multus, *subacidulus*, vel *aqua frigidiuscula* cum *saccharo*, ac cibi tenues, praesertim *fructus horaei*. *Vinum*, nisi aeger sit exhaustus valdeque debilis, non concedendum; in moerente nempe mentem non exhilarat, sed contrarium potius gignit effectum. Idem efficit *musica* hic non nisi ad lacrymas eliciendas commendanda. Contra solatium in motu corporis, et in studiis (93) quaerendum.

(92) P. I. Vol. I. §. LV.

(93) « Quae quidem ego non ferrem, nisi me in philosophiae portum contulissem ». Cicero ad Curionem L. VII. ep. 39.

Caput XX.

DE IRA.

§. LXXXV.

DEFINITIO. LITERATURA.

Definitio.

1. Appetitus vindictae ex apprehensione mali illati, *ira* (94) dicitur.

Literatura.

2. De ira scripsere Hippocrates (95), Aristoteles (96), Galenus (97), Seneca (98), Wierius (99), Charron (100), Hannkius (1),

(94) *Gr.* θυμός, ira, χολή, χόλος, bilis. *Germ.* Der Zorn. *Gall.* La colère. *Ital.* La collera. *Pol.* Gniew.

(95) Epidem. II. Sect. 5. Th. 8. Sect. 6.

(96) Lib. II. Rhetor. cap. II. et Lib. I. De anima. C. I.

(97) De placit. Hipp. et Plat. L. III. De temperament. L. II.

(98) De ira libri tres. Op. Vol. I. Amstel. 1672.

(99) Libellus de irae morbo, et ejus curatione philosophica, medica, et theologica. Basil. 1577.

(100) *De la colère. chap.* 25. *du livr.* 1. *et chap.* 31. *du livr.* 3. *de son ouvrage intitulé : Les trois livres de la sagesse. Paris* 1604.

(1) Diss. de ira. Jen. 1653.

GOECKEL (2), HUNDESHAGEN (3), WILLIUS (4), ZWINGER (5), ETTMULLER (6), FICKIUS (7), MONTAIGNE (8), RUGEMER (9), et VANDERBELEN (10).

§. LXXXVI.

SYMPTOMATA. AUTOPSIA CADAVERUM. CAUSSAE.

Symptomata.

1. Irati de consilio, de ratione, de mente, et de potestate exeunt (11). Furentium instar insigne habent robur, et magnam audaciam ad omne scelus prompti. Reverentia, verecundia, omnisque rerum externarum respectus extinguuntur. Quidquod ira excandefacti, licet

(2) *Betrachtungen des Zorns und der daraus entspringenden Krankheiten.* Hall. 1665.

(3) Diss. de ira. Jen. 1666.

(4) Diss. de ira. Argent. 1671.

(5) De irae nat., effect., et remed. Basil. 1699.

(6) Diss. de ira. Lips. 1705.

(7) Diss. de irae efficacia, et remediis. Jen. 1718.

(8) *Chap. 31. du livr. 2. de ses essays.* Londr. 1724.

(9) Diss. de effect. irae med. considerat. Wurceb. 1752.

(10) Diss. de praecipuis ab ira in corpore humano productis effectibus. Lovan. 1788.

(11) CICERO IV. Tusc. c. 23.

vulnerentur, id tamen non illico sentiunt (12). Facile alios interimunt, vel sibi ipsis violentas quandoque inferunt manus (13), vel res circumpositas, ut specula, vasa vitrea, vel fictilia, horologia cum proprio damno confringunt. Facies immanis, rubra, pallida, subnigra (14), supercilia rigida, frons rugosa, oculi ignei, intuitus trux (15), lacrymatio (16), aliquando cruenta (17), vertigo, labia inflata, alba, tremula, fissa (18), os amarum, aridum, spuma

(12) Wedel pathol. p. 142. Quondam et mihi in Italia homines clandestine sub rixis vulneratos videre contigit, qui multum gradiebantur, antequam proprium statum cognoscerent.

(13) Zacut. Lusitan. de med. princip. hist. L. II. obs. 3. Joh. Langius epist. 38. L. I.

(14) Ovidius L. III. de arte amat.:

« *Ora tument ira, nigrescunt sanguine venae* ».

V. diss. de erubescent., et subitan. capit. venarum tumore. Auct. Muller. Lips. 1739. p. 23.

(15) Fickius l. c. c. 3. Creditum quondam fuit, *torvum iratorum intuitum aliis noxam inferre*, quod cum magnetismi animalis phaenomenis nonnullis comparandum esset.

(16) Constat feminas, et infantes saepe iram fletu manifestare.

(17) Petr. Borelli obs. 56. cent. II. p. 155.

(18) Scanderbergio praeliaturo cum Turcis prae fervore, et ira, e *fissis labiis* sanguis effusus est. V. Andr. Libavius de cruent. cadav. Thes. 205.

virulenta (19) coopertum, stridor dentium, mordendi desiderium, screatio frequens, halitus foetens, sitis, lingua halbutiens, epistaxis, vox intersecta, stridula, aphonia (20), anhelatio, angustia pectoris, respiratio difficilis (21), sputa cruenta (*), cordis palpitatio, aut tremor, pulsus frequens, plenus, intermittens (22), febris (23), ardor ventriculi, ructus acidi (24), vo-

(19) De morsu iratorum *hydrophobiae* ansam porrigente habentur exempla in Eph. nat. cur. Dec. III. an. 9. et 10. Op. N. 249. Act. erud. Lips. an. 1702. p. 147. 1706. p. 456. 1707. p. 147. *Hist. de la Soc. R. de méd. de l'an.* 1782. 83. T. II. p. 57. 60. *Mémoire de l'ac. R. de Dijon* I. hist. p. 110. *Berliner Samml.* 1. B. p. 334. Bloch *med. Bemerk.* p. 138. Scaramucci *lettera sopra un idrofobo. Macerat.* 1702. Drywanski diss. hist. aegri hydrophob. exhib. Vilnae 1815. De *ulcere putrido* difficilis medelae a morsu irati, v. Hildanum obs. 1. obs. 85. Glandorp spec. chir. obs. 49. Ettmullerum pathol. p. 37.

(20) In matre quadam, quae filii, filiaeque stupro interveniebat, apud Valerium Maximum dict. Fab. memorab. Lib. I. p. 67.

(21) Monet Hippocrates (Epidem. VI.) difficultate spirandi laborantes, clamore, et *iracundia* abstinere debere.

(*) Higmorus disquisit. anatom. p. 172.

(22) Bellinus opusc. p. 627. Timaeus a Guldenklee. L. II. cas. 16. p. 104. Pechlinus obs. L. III. obs. 25.

(23) Hildanus L. I. obs. 18. « ira non excitat febrem, sed est ipsa febris ». Ettmuller l. c. ex Campanello.

(24) Ettmuller prax. med. P. I. c. 6. p. 59.

mitus (25), haematemesis (26), diarrhoea (27), cholera (28), colica (29), maxime in herniosis (30), urina tincta, transpiratio aucta, suppressio menstruorum (31), lochiorum, haemorrhagiae uteri (32), hepatis (*), abortus (33), lactis depravatio (34), pedum pulsatio

(25) RIEDLINUS (Lin. med. an. IV. p. 912.) de muliere nonagenaria refert, quae cum ex improviso filia lintea quaedam pretiosa combussisset, inde furere incepit, succedente copioso vomitu.

(26) ROLFINKIUS (ex HIERONYMO l. c. p. 145.) exemplum Imperatoris VALENTINIANI referens.

(27) In app. ad ephem. germ. Dec. II. an. 5. p. 57. observatio ludi moderatoris legitur, qui quamprimum discipul vel domestici peccarunt erga eum, subito excrementa alvi, egerebat.

(28) ETTMULLER l. c. in colleg. consult. cas. 41. RIEDLIN an. IV. p. 912.

(29) TULPIUS L. V. c. 41. WALDSCHMIDT prax. cas. 30.

(30) HOFFMANN comment. in POTER. p. 247.

(31) KOLICKEN in act. med. Hafn. Vol. II. p. 288.

(32) RIEDLIN l. c. p. 611. PECHLINUS L. III. obs. 25.

(*) *A dissertation on the influence of the passions in the production and modification of disease. By* P. TOWSEND. *New-York* 1816.

(33) GALEN. L. V. Aph. comment. 45. et 53. Miscell. nat. cur. Dec. II. An. I. p. 252. An. 1811. in gravida septem mensium nubili, cum amasius de origine infantis dubium moveret, sub effreni ira illico *partus* secutus est.

(34) Lac nutricum post iram infantibus ubera sugentibus

(35), tremores (36), convulsiones (37), lipothymiae (38), et mors (39). En irae phaenomena!

Autopsia cadaverum.

2. Cadavera praeter reliquias apoplexiae (40), obtulerunt pericardium exsuccum, et squalidum, carneamque cordis substantiam plane consumtam instar loculi vacui corrugatam (41), et haemorrhagias ex aorta in pericardium rupta (42).

Caussae.

3. Disponunt ad iram temperamentum cholericum, cholerico-sanguineum (43), peculiaris

nocivum esse, nemo ignorat, qui ex hac caussa colicas, convulsiones observavit. Cfr. J. G. Sommerum in misc. nat. cur. Dec. II. an. 2. obs. 172.

(35) « Nescit vestra mens *ira* referre pedem. » Propert. Cfr. Diss. de pediloq. auct. Kessler. Altorf. 1702.

(36) Pelargus *med. Jahrgange. IV. p.* 207.

(37) Platerus obs. Lib. I. p. 34. et 504.

(38) Welsch obs. med. Cent. I. obs. 30.

(39) Camerarius memorab. Cent. X. N. 52. 53. Fabr. Hildan. Cent. I. obs. 18. Ep. I. Hannes in act. Mogunt. 1776. N. 21. Falso hinc dixit Galenus: « ab ira nemo interit ». (De sympt. causs. L. II. c. 5.).

(40) Cap. V. §. XXV. N. 2.

(41) Bonet anat. pract. L. IV. c. 12. p. 552.

(42) Ephem. nat. cur. Dec. I. ann. 1. obs. 69., ann. IV. et V. app. p. 54.

(43) « Qui venae in cubito conspicuum pulsum habet, is

cranii forma (44), corpus pusillum, tenue, macilentum, infantia (45), senectus, sexus femineus (46), menstruatio (47), graviditas, peculiaris regionum conditio (48), civitatumque positio (49),

furibundus in acerbam iracundiam praeceps facile est ». *Item*: qui calido ventriculo praediti sunt, frigidas habent carnes, tenuesque existunt, *conspicuas* denique, *eminentesque venas* obtinent. Hipp. epid. L. VI. partic. 4. aph. 23.

(44) « Quibus *caput magnum*, oculi parvi, et balbutiens lingua est », item « qui inconniventibus oculis intuentur » ad iram dispositi sunt. » Hipp. Epid. 2. Sect. 6.

(45) « Pueri, mulieres, et infirmi saepius irascuntur. » Sponius sect. 4. Aph. 78.

(46) « Non est ira supra iram mulieris » Ecclesiastes. c. 25. « Muliebre est furere in ira » Seneca L. I. « Nullum malum adeo infestat femineum sexum, quam amoris, aut irae excessus: amor earum est insatiabilis, et *ira irreconciliabilis* ». Kozak de haemorrhag. L. II. c. 20. p. 635.

(47) Mansuetas alias feminas cognovi, quae tempore menstruationis perquam irascibiles evadebant.

(48) « Ubi regio nuda est, non munita, aspera, quaeque hyeme prematur, et sole exuratur, ibi duros, graciles etc. cernas homines, qui mores habent superbos, *ad iram proclives*, et pertinaces, magisque feritatis, quam lenitatis participes ». Hipp. de aëre, locis, et aquis.

(49) « Civitates, quae quidem soli orienti sunt expositae, eas salubriores esse par est his, quae ad septentrionem obversae sunt etc. Homines clara voce sunt praediti, et *ad iram*, et prudentiam magis sunt comparati, quam septentrionales ». Hipp. l. c.

indoles nationalis (50), consuetudo (51), fames, et sitis (52), usus liquorum fermentatorum (53), opium (54), motus corporis, et vigiliae (55), musica militaris (56), terror

(50) Italos et Rossicos longe magis irascibiles inveni, quam Germanos, et Polonos.

(51) « Ubi semel *ad iram* nos commoveri passi sumus, paratiores evadimus ad *alia vice* similem ob caussam, *irascendum* ». Claubergius de corp., et anim. conjunct. c. 36. « Non ergo mirum, *milites*, qui nil aliud, quam caedem, et sanguinem cogitant, aut patrant, attonitu vultu, efferatoque, *ob leves quoque injurias*, saevire statim, vehementerque excandescere; *consuetudo* enim, prout temperamentum, animi mores confirmant ». Fickius l. c. §. 6.

(52) « Si quis prandere consuetus, non prandeat, ei os amarulentum evadit, vehementer *irascitur*, et moeret ». Hipp. de prisca med. « Fames, et sitis exasperat animos, et incendit ». Seneca de ira. c. 9. et 10.

(53) Dodonaeus stirp. hist. Pemptad. III. c. 31. p. 421. Rixae cruentae in Italia plerumque vino, et lusui adscribendae sunt. Interea Schulzius (aph. med. sect. 6 aph. 126). pulchre dicit: « vinum alios facit *iracundos*, alios humanos ». Sic vulgus in Polonia ebrius non ferit, sed osculatur.

(54) Wedelius de opio. p. 168.

(55) « Sic in lassitudine, siti, inedia, *intempestiva vigilia* pronior quisque ad iram, sic fames, et mora ex Plauti sententia, bilem in nares concient ». Lemnius de occult. natur. mirac. L. I. c. 16. p. 116.

(56) Plutarchus refert, quod cum Alexander audivisset, Antigenidem tibia modos concinentem, qui vocantur harma-

(57), amor (58), morbi chronici (59), potissimum icterus, podagra (60), phthisis (61), et syphilis (62). Praeter injurias, ira excitari solet ab oppositione culpa tum ex alterius ignorantia (63), tum ex diversitate opinionum orta, ab impotentia quod injustum, etiamsi alios tangat, tolerandi, a cognitione propriorum errorum (64), atque haec singula eo facilius in philautis, et superbis, in suspicacibus, et credulis, in curiosis, et invidis, in zelotypis, et avaris, in ambitiosis, et luxuriae deditis, aliisque animi, vel corporis dotibus antecellentibus.

tici, adeo exarserit, ut simul cum armis surgens manus injiceret in proxime sedentes.

(57) Vehementem iram facile magno terrori succedere, monet Sylvius in prax. med. Lib. III. c. 3. §. 283.

(58) Irasci facile amantes testatur, praeter quotidianam experientiam, Baricellus in hortul. genial. p. 225.

(59) « Adeo invalidum omne natura querulum est. » Seneca l. c.

(60) Ex proclivitate majori ad iracundiam plurimos podagricos futurum ejusdem mali paroxysmum praedicere audivi.

(61) « Qui phthisi laborant, ad impatientiam, et *iracundiam* valde proni, ac proclives sunt ». Fr. Hoffmann med. rat. syst. T. I. sect. 2. c. 2. §. 18. p. 517. Scholion.

(62) Cfr. Cap. XVII. §. LXVIII. L...

(63) E. c. in regione extranea incolarum idioma ignorando, aut animalibus domesticis irascendo.

(64) *Dictionnaire des sciences médicales T.* 6. *p.* 4.

§. LXXXVII.

DIAGNOSIS. PROGNOSIS.

Diagnosis.

1. Ira animi pathema est conservationi proprii individui destinatum (65). Varii illius gradus statui solent. Dicitur nempe *excandescentia* ira subita, *amaritudo* ira perseverans, et *furor*, cum iratus non acquiescit, donec ultus fuerit (66). Dividi quoque potest ira in *apertam*, et *occultam* (67). Illa cum vultus rubore benigna est, facile excitanda, et sedanda, mi-

(65) Quemadmodum omnis natura, scribente Cicerone, (De fin. L. IV. c. 7.) vult esse conservatrix sui, ut et salva sit, et in genere conservetur suo, ita omni animantium generi, ut idem Tullius (De officiis L. I. c. 4.) loquitur, principio a natura tributum est, ut se, vitam, corpusque tueatur, declinetque ea, quae nocitura videantur.

Formicae sua bilis inest, et muribus ira,
Nil adeo vile est, quod se non vindice laesum
Utatur . . . .

Fatetur quoque Seneca (L. I. de ira cap. 11.): « Utilis est ira, quae contemptum effugit, quia malos terret ». Talem iram neque *Scriptura sacra* improbare videtur, dum ait: « irascimini, et nolite peccare ».

(66) Platner de excandescentia furibunda. Lips. 1800.

(67) Cartesius de passion. anim. art. 201.

nus metuenda (68), haec cum pallore longe pejor, periculosa, et pertinax. Qui iram in *simplicem*, et *compositam* dividunt, ignorant, omnem iram *compositam* esse. Enimvero iram semper comitatur *dolor*, quem accepta parit injuria, *odium* hominis, qui intulit injuriam, et *voluptas*, quae nascitur ex spe futurae ultionis (69). Irae accessus similitudinem habet cum *delirio* (70), et *epilepsia* (71).

Prognosis.

2. Ira saepius repetita physionomiae peculiarem characterem imprimit (72). Praeterea defraudatur inde nutritio corporis (73), ac via plurimis periculis, et morbis sternitur, inter quos

(68) Sebizius exerc. pathol. T. I. p. 127.

(69) Rolfinckius O. Et M. spec. comment. L. III. sect. 3. c. 103. p. 114.

(70) « An est quicquam similius insaniae quam ira » ? Cicero IV. Tusc. c. 23. Horatius (L. I. epist. 2.) iram furorem brevem vocat; et Epicurus interrogatus, quid efficeret ira, eam, si immodica sit, parere insaniam respondit.

(71) Apud Pechlinum (Lib. III. obs. 25.) ira *epilepsiae umbra* vocatur.

(72) Lavater *essai sur la physionom. II. Partie.* 8. *fragm. III.*

(73) Licetus de his, qui diu viv. sine aliment. Lib. II. c. 110.

erysipelas, hepatitis, icterus, podagra (74), contracturae, et tremores artuum (75), apoplexia (76), paralysis (77), epilepsia (78), mania, et febres (79), contagiosis non exceptis (80), creberrime obveniunt. *Crisi* tamen sua ira non destituitur, inprimis per vomitum (81), et alvi profluvium (82), quae nisi superveniant, febris (83), aut icterus expectanda. Maxime ira fatalis est menstruantibus, gravidis, et puerperis (84), contra ea *salutaris* visa fuit in senibus (85), cachexia (86), apoplexia

(74) Laur. Schulzius consil. med. III. p. 300.

(75) Ettmuller Pr. P. II. p. 291. Fel. Plater L. I. p. 50.

(76) Cap. V. §. XXVI. N. 2.

(77) Tulpius obs. med. L. II. c. 20. De aphonia ex paralysi musculorum laryngis v. Valerius Maximus dict. fact. memor. L. I. p. 57.

(78) Joh. Mathaeus in quaest. med. p. 27. Riedlin Lin. med. an. VI. p. 14.

(79) Galenus L. VI. Ballonius Epid. p. 209. Forestus de feb. ephem. Lib. I. obs. 2.

(80) Sennert cent. II. epist. 72. p. 681.

(81) Plurima talia exempla observavi.

(82) Hildanus cent. I. obs. 18. Frankenau satyr. med. 3. p. 67

(83) Bagliv. prax. med.

(84) Tulpius Lib. II. c. 20. Baumes *Journ. génér. de méd. chir. et pharmac. Paris* 1780.

(85) Hubault. Ergo irasci senibus salubre. Paris 1646.

(86) Hippocrates L. II. Epid. sect. 4. Aetius Tetrab. I. serm. 4. c. 33. Baco *de Verulam.* (hist. vit. et mort. p.

(87), paralysi (88), tremore (89), retentione menstruorum (90), obstructione hepatis (91), et febribus (92), quin tamen ob id consulto excitanda sit, rite monente RIEDLINO (93).

§. LXXXVIII.

CURA.

Prophylaxis.

1. Arduum est animi pathemati homini in incunabulis adhuc jacenti, et animalibus communi occurrere. Interea religionem, et educationem hic multum efficere posse, inter alia docet hominum tremulorum secta (94). Institutio vero a primo

249.) ait : « ira sibi permissa, et foras prodiens juvat tanquam medicamenta illa, quae robustum inducunt calorem ».

(87) ETTMULLER l. c.

(88) HORST. Lib. III. consil. epist. 12. SCHULZ consil. m. 50. VALERIOLA L. II. c. 4. Act. Hafn. Vol. I. obs. 71.

(89) PECHLINUS Lib. II. obs. 31.

(90) ETTMULLER (Inst. Part. II. cap. 3.) fatetur : « ira moderata convenit mulieribus, quibus non adeo commode fluunt menses ».

(91) PECHLIN l. c. obs. 26. p. 460.

(92) Misc. nat. cur. Dec. I. an. 3. obs. 238. BIERLINO thes. pract. obs. 11. in schol. p. 105.

(93) Lin. med. an. II. mens. mart. hist. 20. p. 184.

(94) W. PENN in epist. ad uxorem sic ait: « *Si ceux, qui*

hominis ortu locum habere debet. Qua de caussa opera danda, ut matres, quae gerunt utero, et nutrices, quae tenellos alunt, ab iracundia sint immunes. Recens natorum ira blanditiis, et uberibus sedanda. Quo primum autem infantes ideas connectere jam incipiunt, virgarum unus, alterve ictus reditui iracundiae saepe obstat. Debet autem punitio placate infligi. Oportet hinc, ut dentur institutores non truces, et feri, sed mites, atque placidi. Porro ne infantes sint testes irae parentum. Opus enim est, ut mature juvenes *moderationem* addiscant, et eorum animus tali *generositate* imbuatur, qualis requiritur, ut vilipendantur omnia bona, quae possunt auferri, et contra maximi fiat libertas, et imperium absolutum in semetipsum, utque contemptu solo, aut ad summum indignatione ulciscamur eas injurias, ex quibus alii solent offendi (95). Succedit *patientia*, qua homo

te servent, s'acquittent mal de leur devoir, évites de te facher, cela pourroit te nuire; il vaut mieux de les congédier, s'ils résistent à des simples avis. Le mieux est toujours de s'abstenir de vaines paroles, qui troublent l'ame, et offensent le Seigneur ». (*Mémoires of the private and publ. life of* W. Penn. *By* Th. Clarkson. *Lond.* 1813. *ex Biblioth. univers.* 1816. *Mars. p.* 260).

(95) Cartesius de passionibus, art. 203.

versus irae feroces motus robustior redditur, illi ipsi palmae respondens, quae quo magis premitur, eo fortior attollitur (96). Obfirmandus ergo animus contra iram, et constituendum firmiter, ei nos non velle locum dare, quidquid etiam molesti, et adversi acciderit. Quod facilius obtinebimus assidua meditatione, et consideratione foedissimae turpitudinis, atque deformitatis vultus, atque gestuum, quibus mentis alienato similis evadit iratus (97), nec non malorum funestissimorum, quae per iram ingeruntur; et fructuum contra mansuetudinis quolibet vitae tempore suavissimorum (98). Juvabunt haec promptius, quando per aliquod tempus *irae voveamus abstinentiam*, ut veluti

(96) QUERCETANUS diaetet. polyhistor. sect. I. c. 6. p. 28.

(97) Ad repraesentandam melius irae deformitatem veteres ejus aestum per *furias* adumbrant venenatis serpentibus crinitas, flagellum itidem ex serpentibus confectum, et facem manibus gestantes. Quare etiam TIM. A GULDENKLEE (L. II. cas. 16) ait: « irae deditus ob oculos sibi ponat Megaeram illam infernalem a PLUTARCHO, et SENECA vivis coloribus depictam, ut in hanc intuens, deformitate tam atrocis furiae peremta, mansuetudinem exoscularetur, quemadmodum speculo quosdam ab ira deterritos refert SEXTIUS, perturbatos nimirum tanta sui mutatione. »

(98) Quare schola Salernitana:

« Si vis incolumem, si vis te reddere sanum,
Curas pelle graves, irasci crede profanum. »

desuescamus ei gradatim viventes semper cum placidis, minime morosis, ferocibus, et rixosis, a quibus et prava exempla, et irascendi caussae praebentur (99). Praeterea caussae physicae irae sunt evitandae. Cibi sunto tales, ut animi asperitatem dulciori succo mitigent (100). Vinum bibendum est parce, multumque aquae (1). Postremo ut corpus optimis succis alendum, ita in molliter subacta culcitra placido somno fovendum, non neglecta licita venere (2).

(99) Fickius l. c. cap. V. §. 4.

(100) Plinius.

(1) Ex elogio Andreae Tiraquelli a Scaevola Sammarthano conscripto (p. 3.) apparet, obiisse illum celebrem aquae potatorem plane senem, et animo semper placido, et sereno, tranquillitatem quandam, ac benignam temperiem in omni vita constantissime retinuisse, neque temere aut ira, aut quavis alia graviori perturbatione visum commoveri, quadraginta quinque liberorum, et totidem librorum fuit auctor, quod sequentis epigrammatis condendi occasionem dedit:

Fecundus facundus aquae Tiraquellus amator,
Ter quindecim librorum, et liberum parens.
Qui nisi restinxisset aquis abstemius ignes,
Implesset orbem prole animi, atque corporis.

(2) Paulus Aegineta (p. 9.) et Aetius *venerem* ut certum contra iram extollunt auxilium.

Cura moralis paroxysmi.

2. Hisce non obstantibus, fieri tamen potest, ut aliquando irae impetus animum nostrum occupet. Tunc autem proderit initiis mali obsistere, et ad *moram*, atque *cunctationem* confugere, ut scilicet nihil decernamus, dicamus, aut faciamus, donec ira deferbuerit, et ratio rursus probe judicet. Quod veteres innuerunt, quando viginti quatuor alphabeti literas, aut dominicam orationem recitare prius praeceperunt. Subsidio sunt *contrariae rationales commotiones*, *blanda consolatio*, *promissa securitas*, *facta fiducia*, et *musici lenes concentus* (3). Proderunt vix amicorum admonitiones. Potentior approbetur, quoad sensim defervescit, aut componitur ad jocos, et hilaritatem, ut sensim sensimque sedetur animus,

(3) « PYTHAGORAM animo pacando, sedandoque ab affectibus, et perturbationibus vehementioribus *musicam* adhibere solitum, auctor est PLUTARCHUS, ideoque ut animum sua semper divinitate imbueret, priusquam se somno daret, et ex somno experrectus ad citharam cantare consueverat. Cfr. SENECAM Lib. III. l. c. TIMOTHEUS musicus, quoties libuerat, Phrygio sono ALEXANDRI animum ita accendebat, ut efferatus ad arma curreret, et cum aliter voluisset, mutato tono, mentis ferociam supprimebat, emollitumque animum ad epulas trahebat, et ad convivia ». Sic ETTMULLER in disp. de effect. music. in hom. p. 7.

nec ira subito supprimatur, aut ei superveniant alia contraria. Cum vero alii, ex naturali inclinatione, facile, alii difficulter irascantur, et placentur; alii precibus vincantur, exacerbentur alii, alii terrore incusso componantur, objurgatione, et increpatione pacificentur, alii saeviente ira non sunt perturbandi: hoc modo omnes pro cujusvis naturae indole, atque moribus tractandi sunt aperte, et palam, vel occulte, molliter, et acrius, et animi non minor, quam *corporis* sic *cura* est habenda (4).

Cura physica.

3. Varia autem est haec cura pro varia aegri constitutione. In genere ab auxiliis violentis abstinendum. Attamen deflagrata ira, *venaesectioni* locus est in gravidis, plethoricisque hominibus, praeterea si cor, et arteriae cum vi pulsent, venae turgeant, sanguis vehementer ad caput impellatur, hypochondria tensa, et dolentia sunt, et menstrua, vel lochia suppressa. Ab *emeticis*, et *purgantibus* abstinendum (5). Contra *clysteres antiphlogistici*, et *eccoprotica* commendanda. Laudem, et applausum per experientiam obtinuere *terrea*,

(4) Fickius l. c. §. 5.

(5) Fr. Hoffmann diss. de medicina emetica, et purgante post iram veneno. Op. T. VI.

testacea, ut *magnesia*, *lapides cancrorum*, et similia, additis granis nonnullis *cinnabaris factitii*. *Potus* sub excandescentia qualiscunque eoque magis quo calidior (6), nocuus. Pace composita *emulsiones* variae, *aqua selterana saccharata*, aut alia *succo vegetabili* mixta conducunt. Sic et *balneum tepidum* (7). *Opium* solum ingruente alio morbo illius usum exposcente, exhibendum. Enimvero si ira, absente plethora, et febre, spasmos socios habet, praesertim in hystericis, et hypochondriacis, guttis nonnullis *aetheris sulphurici alcoholisati* succurrendum.

(6) « Vidimus multos ineffabilem fecisse sanitatis jacturam, qui gravi iracundia incensi infusum herbae theae copiose, et calidissime potarunt ». Fr. Hoffmann med. rat. syst. l. c. §. 16. Scholia. Attamen theam quondam adversus iram in usu fuisse, ex Riedlinio video, in Lin. med. ann. II. obs. 2. 26.

(7) Balneum enim *calidum* pessime egisse testatur Fr. Hoffmann l. c.

Caput XXI.

DE AMORE EFFRENO.

§. LXXXIX.

DEFINITIO. SCRIPTORES.

Definitio.

1. Desiderium intensum individuum alterius sexus consequendi, periclitante ratione, *amorem effrenum* constituit (8).

Scriptores.

2. Praeter magnum illum amoris magistrum (9), de hoc argumento consulendi sunt Galenus (10), Ferrand (11), Felix Platerus

(8) *Lat.* Cupido, cupiditas Ovidius, ignis Virgil., ardor Senec. *Germ.* Die tolle Liebe, die unsinnige Liebe, die rasende Liebe. *Gall.* Une grande passion, aimer à la passion.

(9) Ovidius Lib. de remediis amoris.

(10) Op.

(11) *Traité d'amour*, 1623.

(12), SENNERTUS (13), FORESTUS (14), SCHENKIUS (15), BACKHAUS (16), VETTER (17), DU CHATERET (18), ESQUIROL (19), aliique (20).

§. XC.

SYMPTOMATA. CAUSSAE.

Symptomata.

1. Amor nunc furtim sese insinuat, ac gradatim evolvitur, nunc aperte ingruit, rapideque flagrat (21). Primo in casu, si occultari vult, aliter cognosci nequit, quam habita ratione minimorum indiciorum. Qua de caussa

(12) Prax. med. op. L. I. c. 3. De mentis alienatione.

(13) Institut. Lib. III. part. 3. sect. 2. c. 4.

(14) Lib. X. obs. 29.

(15) Lib. I. obs. 268.

(16) Diss. de amore insano. Jen. 1686.

(17) Diss. de morbis amatoriis. Erlang. 1787.

(18) Diss. de affectibus eroticis. Monspes. 1776.

(19) *Dict. des sciences méd.* T. 13. Voc. *Érotomanie.*

(20) *Histoire des Troubadours* (sparsim). *Des causes, et des remèdes de l'amour considéré comme maladie, par* J. F. *médecin anglois. Paris.*

(21) « *Mars videt hanc, visamque cupit* ». OVID.
Nec THEOCRITUM ab his aliena sentire, verba ipsius probant: « ut vidit, ut insaniit, ut in profundum incidit amorem ».

sequens amoris symptomatum enarratio, quamvis primo intuitu futilis videri possit, attamen iis, quorum interest, aut in aliis aut in se ipsis occultum ignem detegere, utilis erit. De latente amoris germine suspicamur, si quis nomen individui sexus diversi solito aut crebrius, aut rarius, nunc sine necessitate, nunc alterius loco pronunciet: si, tali nomine ab aliis pronunciato, erubescentia sequatur: si manus, inscia quasi mente, qualibet porrecta occasione, ejusdem nominis literas initiales in charta, aut arena inscribat: si proprii corporis ornatui magis, quam consuetudo ferebat, studeat, hocque in opere peculiares colores prae aliis eligat: si gestus proprii immutentur, et ad similitudinem alterius componantur: si idem respectu ad verborum delectum contingat: si homines, qui prius indifferentes, cari, qui antea cari erant, indifferentes evadant: si occupationes solitae oscitanter, aut perverse perficiantur: si animalia domestica omnem antea sollicitudinem attrahentia, taedium nunc afferant: si in cubiculorum dispositione mutationes a vitae commodis minime suggestae, instituantur: si in deambulatione, et negotiis externis a via, et hora consueta idem recedat: si propria indoles ita mutetur, ut hilaris tristis, tristis hilaris evadat: si physionomiae, praesertim oculorum status, et intuitus ratio

mutationem istam confirment: si quaedam imago continuo in somnio obveniat: si suspiria, cordis palpitatio, et spontanea lacrymatio frequenter locum obtineant, et maxime si jam zelotypiae percipiantur motus. Confirmati amoris effreni signa sunt macies (22), pallor (23), oculi cavi intra supercilia conditi, pulsus, absente objecto amato, inaequalis, parvus, debilis; quo primum autem ipsius recordatio vel visu, vel auditu, vel epistolarum lectione repente subierit, perturbatus, fortis: proclivitas ad haemorrhagias, e. c. epistaxin, pneumonorrhagiam (24), metrorrhagiam, rupturam venarum (25), motus inor-

(22) Hinc Ovidius:

« *Facit amor* maciem, *et longa internodia crurum* ».

Cui sententiae adstipulatur Virgilius:

« *Hic quos durus amor crudeli* tabe *peremit* ».

Et Theocrit. « Ubi tandem fuistis, o Nymphae, cum Daphnis *amore tabesceret* » ? Quare Poeta:

Fugerat ore color, maciesque obduxerat artus,
Sumebant minimos ora coacta cibos.
Nec somni faciles, et nox erat annua nobis,
Et gemitum nullo laesa dolore dabam.

(23) Hoc morbo atroci, et fero oppressi, « decolores sunt, exanimes, *pallidi*, graciles, excarnes » Galen.; Plater ait: « pallet omnis amans ». l. c.

(24) Novi virginem ex adspectu improviso amasii, nec non receptis diu desideratis literis, sanguinem copiosum spuentem.

(25) Schenk (L. I. obs. 270.) de nobili quodam narrat, insano prae amore nobilis, et honestae cujusdam viduae, cu-

dinati cordis, dolor regionis epigastricae angorem inducens, inquietudo continua (26), febricula (27), inconstantia mentis, ab omnibus reliquis animi pathematibus, ut gaudio (si spes in amore aliquid obtinendi affulgeat), tristitia (dum de mutuo amore spes nulla), ira (dum zelotypia adest), agitatae, spes chimerica, timor vanus, mox demissio, et timor, mox superbia, meditatio continua, neglectus rerum ad conservationem corporis necessariarum, qualia sunt cibum capere, dormire, vestes a climate petitas induere, contemtio divitiarum, honorum, opinionis publicae, omissio negotiorum, extinctio observantiae erga parentes, officiorumque erga liberos, judicii corruptio, neque consilia utilia, neque amicam consolationem admittens (28), celeritas puerilis se totum ad nutum objecti amati, etiamsi scelus, vel nugas imperantis, fingendi,

jus nuptias ambiebat. Hic cum in prandio ad mensam colloqueretur, ecce *vena* in temporibus prope aures *sponte aperta* est, et profluxit copiosus sanguis, quem strophulo compescere conatus est. V. et Dornax consult. med. L. I. c. 3.

(26) *Haerent nempe*, ut pulchre effatur Virgilius (L. IV. Aeneid.) *infixi pectore vultus*; *verbaque*, *nec placidam membris dat cura quietem.*

(27) Erotica dicta. Lorry.

(28) « Meliora probant, deteriora sequuntur amantes ».

vitae periculi spretio, quae singula graphice a PLAUTO descripta sunt. (29).

(29) In CISTELL. Act. I. Sc. 1.

« *Credo ego amorem primum apud homines carnificinam, commentum;*

Hanc ego de me conjecturam domi facio, ne foris quaeram,

Qui omnes homines supero, atque antedeo cruciabilitatibus animi

Jactor, crucior, agitor, stimulor, verso in amoris rota miser;

Animi habeo ubi sum, ubi non sum; ubi non sum, ibi est animus.

Ita mihi omnia ingenia sunt: quod lubet, non lubet, jam id continuo.

Ita me amor lapsum animi ludificat, fugat, agit, appetit,

Raptat, retinet, jactat, largitur: quod dat, non dat, deludit:

Modo, quod suasit, dissuasit: quod dissuasit, id ostentat.

Maritimis moribus mecum experitur: ira meum frangit amantem

Animum; neque nisi quia miser, non eo possum, mihi ulla abest

Perdito pernicies ».

Et amoris effreni vestigia clare elucent ex opusculo sub titulo: *Lettres de* JULIE LESPINASSE.

Caussae.

2. Ad amorem disponunt aetas juvenilis (30), sexus inprimis sequior, temperamentum sensile, sanguineo-cholericum; educatio effeminata, musica (31), studium poëseos, artium liberalium in genere, fabulae milesiae (32), cibi succulenti, aromatibus conditi, vinum meracum, otium (33),

(30) Quod Poëta innuere videtur, quando canit;
« *Aut Deus, aut lapis est, qui non juveniliter ardet* »

(31) Ad conciliandum amorem quid valeat musica, res in propatulo est. Apud HOMERUM, HECTOR illudit PARIDI, quod ad arma ineptus, libidinosis cantibus HELENAE animum ad se trahere gestiat. Ad amplificandum amorem conjugalem pastores Aegyptiorum musica usos fuisse, testatur ARTURUS BEDFORD in tractatu: *The great of music*. p. 4. ST. HIERONYMUS ad LETAM scribens, jubet, ut filia ejus surda sit ad organa; tibia, lyra, cythara, ad quid facta sint, nesciat.

(32) Quamvis hujusmodi librorum auctores scopum moralem semper in ore gerant, attamen animi perturbationem, de qua agitur, coloribus nimis attrahentibus pingunt, quam ut juvenum manibus secure tradi possint.

(33) Contenderat DIOGENES amorem otiosorum esse negotium. Unde OVIDIUS:

Otia si tollas, periere cupidinis arcus
Despectaeque jacent et sine luce faces.

Et MARTIALIS:

Quaeritur, Aegysthus quare sit factus adulter?
In promptu caussa est: desidiosus erat.

taedium, castitas (34), et philautia. Excitatur amor a peculiari vix explicanda sympathia (35), quandoque similitudini formae, alias transpirationis qualitati forte adscribenda, a formositate incomparabili (36), a conversatione quotidiana

ANTON. DE QUEVARR (L. II. cap. 12. Horol. Principum) inquit: « per otium deses et supervacaneas cogitationes oculi aberrare, mens perturbari, voluntas depravari solent ». « Patrum negligentia, matrumque indulgentia facit, ut laborem misellae honestum fugiant, et inhonesta amplectantur oblectamenta ».

(34) Quo major morum puritas, eo majus amoris effreni concipiendi periculum.

(35) Sicuti antipathia, sic sympathia in amore explicari nequit, unde Poeta:

Livia, non amo te, nec possum dicere quare,
Hoc saltem possum dicere, non amo te.

Et alii:

Odi et amo: quare id faciam, fortasse requiris,
Nescio, sed fieri sentio, et excrucior.

CATULL. ad Lesbiam.

Il est des noeuds secrets, il est des sympathies,
Dont, par le doux rapport les ames assorties
S'attachent l'une à l'autre, et se laissent piquer
Par ce je ne sais quoi, qu'on ne peut expliquer.

P. CORNEILLE, *Rodogune.* Act. I. sc. 7.

(36) THEOPHRASTUS pulchritudinem *silentem fraudem* appellabat. De Olympia Philippi Macedonum Regis conjuge fertur, cui cum Rege marito ingenti puellae alicujus amore ardente, persuasum ab aliis esset, *philtrum* a puella

(37), a choreis inprimis per saltationem volutabundam (38), a frequentatione theatrorum (39), a spectaculis domesticis (40), a jocis socialibus (41) etc. *Philtra* (42) quondam accusabantur; quae quidem ad venerem indiscriminatim excitare posse concedimus, nunquam autem amo-

Regi propinatum amoris hujus existere caussam, adduci eandem jussit, visaque formae elegantia morumque suavitate, missa philtri suspicione, exclamasse dicitur: « *Valeant calumniae, tu enim in te philtra habes* ».

(37) Sapienter SOCRATES apud STOBAEUM (serm. 6.); « ignem quidem ventus, amorem vero *consuetudo* accendit ». Memores hujus dicti sunto parentes filios universitates adeuntes sine delectu passim collocantes, filiasque novis ABEILLARD, et ST. PREUX confidentes.

(38) *Germ.* Das Walzen, modus saltandi, ursis accommodatus, moribus aeque ac sanitati adversus, uti nuper pulchre monitum est in *Oesterreich. Beobachter* 1816. N. 214.

(39) Sirenes praeternavigare, tentationibus saltatricum resistere, pauci mehercle inter juvenes valent.

(40) Quae hodie fictae in sic dictis *théâtres de société* agitantur scenae, hae saepe nimis postridie reales evadunt.

(41) Germani potissimum libere nimis hoc sub respectu incedere, et oscula profundere solent, ac si ignorarent, quanta in iis, et basiis insit vis philtri.

(42) Quondam inter philtra recensebantur: cor hirundinis, cerebrum felis, vel asini, uterus hyaenae, virga, et cauda lupi, urina hirci, sanguis menstruus, abortivi foetus, aut ante baptismum mortui, aliaque absurda, tum intus tum extus adhibenda.

rem in definitum individuum accendere, nisi forte de auro, et argento quaestio sit (43). Nec sexus differentia ad amorem effrenum, insanum, et criminalem excitandum absolute requiritur, quod testantur tribadum, et sodomitarum infamiae (44). Nec spadonum cordi parcet amor, quos haud raro feminae deperire solent. Quin immo, pictae imagines (45), et statuae (46) id effecisse sunt visae. Ex his satis superque apparet, miram esse vim, quam oculi in affectus amatorios exercent (47).

(43) « Quae prudentiae, potentiae, astutiae facta sunt impossibilia, auri parent, atque obediunt fulgori ».

(44) Tam abominandum scelus ne verbo quidem tetigissem, nisi medici illud, ut languoris haud raro caussam, cognoscere deberent.

(45) De PARIDE, qui hoc modo HELENAM concupivisse dicitur, ait Poeta :

« *Et nunquam visae flagrat amore puellae* ».

(46) Exemplo sit ALKIADAS pro statua *Cupidinis*, auctore PRAXITELE, amore captus.

(47) PLATO (L. 6. stromat.) ait : « amoris initium visus ; et PLUTARCHUS (L. de amore) : « capiendi amoris visus est ansa » Cfr. ZACUT. LUSITAN. L. I. Prax. hist.

§. XCI.

DIAGNOSIS. PROGNOSIS.

Diagnosis.

1. Non ex contemptu, sed ex commiseratione (48) amori locum inter morbos tribuimus; quod vero nec de *conjugali*, nec de *sociali*, sed de *lascivo* intelligendum est. Ad hunc cognoscendum, si signa recensita suspicionem excitaverint, exemplis Erasistrati (49), Hippo-

(48) « *Nescis, quid sit amor? Furor est, et post omnia mentem*
Eripit, et damnis poscitur suis ».

(49) Antiochus, Seleuci Regis filius, vehementissimo Stratonices amore flagrans in supremam inciderat maciem, atque in lecto, mox e vita discessuro jacebat similis. Et medico, et patri, universaeque amicorum cohorti caussa hujus mali erat occulta, atque certe de aegro actum fuisset, nisi Erasistrati prudentia detecto morbi fonte, parens genuino atque unico, quod aderat, remedio, filio succurrisset; dictus quippe medicus magnam advertens pulsus mutationem, nunc praesente, nunc absente contingentem Stratonice, veram prehendit morbi originem eamdemque patri aperuit, qui, cessa filio conjuge, sanitatem eidem reddidit.

CRATIS (50), GALENI (51), FERRANDI (52) etc. ad varia *stratagemata*, tamen cum debitis cautelis, ne medicus sive pro denunciatore, sive pro conciliatore habeatur, confugere licet. *Amorem*, de quo agimus, neque cum *chlorosi*, neque cum *mania erotica* confundendum esse, debitis locis palam fiet. Potius similitudinem ille habet cum *philautia*, *cupiditate insana lusum chartarum prosequendi*, et *avaritia*.

Prognosis.

2. « Quot bella tam publica, quam privata insanientis produxit vehementia amoris! Quantae clades, quantae strages exinde ortae! Quot civitates dehinc eversae! Quot hominum millia misere mactata! » (53). Terminus amoris, nisi cito saepe cum desperatione deflagret, est *odium*, *tabes*, *febris*, ut diximus, *lenta nervosa* (54),

(50) PLUTARCHUS de modis ab HIPPOCRATE ad amorem PERDICCAE Macedoniae Regis erga PHRYNEN detegendum usurpatis loquitur. Cfr. BEVEROVICIUM idea med. vet. P. II. L. 6 c. 2. p. 148.

(51) Rite judicavit de ORESTIS erga PYLADEM amore.

(52) Narrat se juvenis amorem ex vultus rubore, et pulsuum majori frequentia, dum ancilla quaedam facem in cubiculum afferret, detexisse l. c.

(53) EURIPIDES in Hippolyto.

(54) Memorabilis hujuscemodi observatio ab ESQUIROLE traditur, l. c. p. 189.

convulsiones, *epilepsia*, *mania*, et *suicidium*. Quae omnia non impediunt, quominus amor aliquando effectus salutares exserat (55), animum emendet (56), et ingenium acuat (57).

§. XCII.

CURA.

Prophylaxis, et cura moralis.

1. Nisi spes non dubia matrimonii contrahendi adsit, parentum, et conjugum est indicatas amoris caussas sive praedisponentes, sive excitantes fugare. Educatio hodierna per universam Europam, Anglia quodammodo excepta, vulgata, quatenus

(55) Cap. XVII. §. LXXI. 2. (62.). Cfr. Kempium de osculis. cap. 18. De osculo salutari.

(56) « Chimon *aima, puis devint honnette homme* ».

(57) Tissot juvenis sat stupidi meminit, qui erga Hispanam sermonis gallici ignaram amore captus fuit, quique spatio triginta quinque dierum idioma Hispanicum ita didicit, ut cum amasia libere conversari potuerit (l. c.). Exercitus extranei variis in Europae provinciis nuper plurima hujuscemodi exempla obtulere. Celeb. Alfieri de se ipso ait: « *Io non mi sentiva mai ridestare in mente, e nel cuore un certo desiderio di studj, ed un certo impeto, ed effervescenza d'idée creatrici, se non se in questi tempi, in cui mi trovava il cuore fortemente occupato d'amore* ». (l. c.).

effeminata, et vana, non satis religiosa musicam artem, saltatoriam plus quam par foret, extollens, lectionem fabularum milesiarum vix, ut decet, prohibens, in selectu institutorum utriusque sexus minus ad mores respiciens, juvenibus libertatem nimiam concedens, et fere semper supra natales, et familiarum conditionem, allatas caussas potius intendit, quam relaxat. Ut amor illicitus arceatur, ejiciantur inprimis e familiarum sanctuariis otiosi, adulatores, hominesque vano splendore circumdati, et ordinis superioris (58). Quodsi haec praecepta ad malum antevertendum non sufficiant, saltem initio illius resistendum (59). Optima id efficiendi ratio in objecti periculosi praecipite fuga consistit (60). Maxime hinc, prae-

(58) Canit Ovidius: « apte nubere, nube pari » quod pariter Pittaci Mitylenaei est consilium, citatum a Plutarcho (Tract. de lib. educ. c. 19.

(59) *Dum novus est, coepto potius pugnemus amori;*
Flamma recens parva sparsa residet aqua.
Ovid. L. XVI. Her.

Et libr. I. de remedio amoris:
« *Dum licet, et modici tangunt praecordia motus,*
Si piget, in primo limine siste pedem.
Opprime, dum nova sunt, subiti mala semina morbi,
Et tuus incipiens ire resistat equus.
Nam mora dat vires ».........

(60) Audi Propert. L. III. eleg. ad Cynthiam ita canentem;

sertim maribus, *itinera* suadenda. Feminis potius receptio in alienam familiam a perturbationibus animi haud agitatam, placideque viventem conducit. Utrisque *amicus* (61) fiduciam aeque, ac venerationem concilians necessarius est. Placeat illi primum reciprocis amantium querelis patientem praebere aurem, easque ut genuinas, et reales accipere. Immo servitio licito eorum captare tentet benevolentiam. Rebus huc perductis, illi quandoque verbum prudens quasi fortuito, cadat, e. c. dubitatio, aut animadversio circa res amori pro basi inservientes. Tali enim ratione amantibus veluti pabulum pro contemplatione instillatur, cujus effectus ocyus serius sponte comparent. Nunquam amantium unum pro bono alterius calumnietur oportet; satius enim est vitia realia, quibus nemo mortalium caret, revelare (62). Si amantium unus contra ipsas amoris leges, e. c. philautiam,

Crescit enim assidue spectando cura puellae,
Ipse alimenta sibi maxima praebet amor.
Unum erit auxilium mutatis, Cynthia, terris,
Quantum oculis, animo tam procul ibit amor.

(61) « Fidus amicus salutaris medicina est ». SYRAC. VI. v. 16.

(62) *Exige quod cantet, si qua est sine voce puella.*
Non didicit chordas tangere, posce lyram.
Turgida, si plena est, si fusca est, nigra vocetur,
Et poterit dici rustica, si qua proba est.

OVID.

aut alienum quendam scopum manifestando, peccaverit, talis revelatio nunquam in alio sine effectu accidit. *Zelotypiam* accendere semper nocet; enim vero aut amor magis adhuc intenditur, aut *odium*, turpissimum omnium animi pathematum, excitatur. Excipi solum meretur odium momentaneum viam ad indifferentiam, realis curae certissimum indicium, secure sternens (63). Verumtamen libentissime hostem propriis suis armis debellamus; amor enim optime vincitur amore. De amore parentum, affinium, amicorumque loquimur, adversus effrenum illum in auxilium deducendo, quod ut fieri possit, amantibus non est, cur irascamur, sed potius blandiamur; nunquam enim obliviscendum, amorem effrenum, veluti febrem, esse morbum, a quo nemini licet se jussu illico liberare. Quare et sodalium requiritur indulgentia. In ea nempe versamur opinione, legibus moralibus strictissime obtemperandum esse potius ad mala praepedienda, quam ad praesentia crudeliter extirpanda. Hic enim severitas nimia homines in perpetuum praecipitat, qui indulgentia facile ad veram viam reduci potuissent.

(63) « Et qui amore gravi premuntur, si in *odium* personae, quam amant, adigi queant, certissime liberantur ». Plater l. c. p. 114.

Rei videlicet naturae consonum est, quod homo a societate contemptus, et rejectus perturbationis suae magis praeda fiat, et animo exasperetur. Quamobrem optamus etiam, ut matronae, quae societatibus exemplo sunt, virgines, feminasque juvenes amore insanas non repudient, famamque earum, ut fieri solet, sine misericordia non dilacerent, sed consiliis potius alant, earumque partes foveant. Ad curam amoris in sexu sequiori absolvendam, haud raro prodest *vanitatem* in auxilium deducere. Accidit nempe, quod feminae, quae amoris gratia mortem vilipendunt, a periculo formositatem per protractum nimis moerorem amittendi terrefiunt. Consolationem quoque amanti infelici affert non ignorare, eum aliorum attentionem ad se trahere (64). In maribus amore effreno domitis *ambitionem* accendere juvat, ostendendo simul quantum fatalis perturbatio honoribus acquirendis obstat, quantumque inde aemulatoribus lucrum affertur.

Continuatio.

2. Cura ista morali ad nutum procedente, contingit haud raro, ut fructus plurium mensium laboris, per casum fortuitum uno temporis

(64) « *Hortor et, ut pariter binas habeatis amicas,*
Alterius vires subtrahit alter amor ».

puncto amittantur, e. c. per receptionem epistolae, conspectum objecti amati, aut imaginis ipsius depictae etc. Tali in casu non desperandum, sed immo illico ex contrarietate profectus capiendus; recidivae enim in amore non, uti aliis in morbis, primo accessu pejores observantur. Contra eae saepissime veluti crisin illius constituit. Qua de caussa et objectum amatum post aliquod tempus revisere quod hallucinationis reliquum erat securissime auferre solet. Eo securius obtinetur id, quo major rationi amantis tribuitur fides. Rebus huc perductis, saepe perturbationem irridere, eamque observationibus satyricis insectari juvat. Quoniam autem hominum plurimi ita constituti sunt, ut magis necessitate aliquid colendi, adorandique, quam amore a peculiari individuo excitato laborent, illorum affectus ad libitum in varia objecta dirigi queunt; sic eligatur ex tot orphanis derelictisque infantibus unus, forma gratus, ac educetur, ne de aliis nonnullis auxiliis jam adversus hypochondriasin commendatis, excepta tamen musica (65), loquamur. Quorum autem auxiliorum nullum certe extat, quod consolationi e *religione christiana* petitae aequiparare posset, inprimis si offensae Dei, futurique supplicii peccatis alli-

(65) « Amatoriis detentorum compedibus aures obturandae sunt, ne Sirenum cantus audiant, et offendatur animus ».

gati ratio habeatur, ac preces fervidae peculiare voluptatis genus in fidelibus excitantes effundantur.

Auxilia physica.

3. *Auxilia physica* amantium corporis constitutionibus accommodanda. *Cibis* facilis digestionis, non, ut suasum fuit (66), jejunio indulgendum, vinum, ut reliqui liquores fermentati evitanda (67), eorumque loco limonata, emulsiones, aqua selterana (68), lac, serum lactis, et similia usurpanda. *Motus* corpus concutiens (69), et venatio ad summam defatigationem usque, quo *somno*, utpote maxime necessario, prospicitur, commendanda. Nec aliis, iisque gravibus laboribus parcendum (70), fugato quocunque in casu otio. Temperatura esto frigidiuscula. In plethoricis, et succiplenis ex chirurgia generosissimum remedium, *venae sectionem*, depro-

(66) Hieronymus in vita Hilarionis Abbatis.

(67) « *Sine Cerere et Baccho friget Venus* ».

(68) Optandum, ut adhuc undaret aqua illa fluminis Selemni de qua Pausanias (in Achaicis) tradit, ejus aquam viris et feminis ex amore invicem mederi, eamque vim habere, ut, qui eo flumine loti fuerint, illos amoris capiat oblivio.

(69) Forte quid veri in fabula de Saltu Leucadae jacet.

(70) « Manibus enim exercitio laudabili occupatis, vacui sunt a vagabundis cogitationibus animi ». Guevarra Op. c. Lib. II. c. 12.

mimus (71). Inter *pharmaca* varia, partim absurda (72), ut *anti-erotica* proposita fuere, quorum ingentem catalogum SCHONBORNIUS (73), et MACASIUS (74), conscripsere. Jactabantur praecipue *herba rutae graveolentis* (75), *folia salicis* (76), et *acetas saturni* (77), Postremo *matrimonium* juxta tritum illud: « *melius est conjuge uti, et nubere, quam uri* » ut specificum adversus amorem commendatur, ac omni sane jure! Generatim enim nil magis amorem extollit, quam spermatis retentio; nihilque magis deprimit, quam *temporis curriculum* (78).

(71) FORESTUS l. c.

(72) E. c. *pulvis secundinae humanae* cum essentia artemisiae, melissae, aut croci mixtus (MICHAEL in annot. ad chimiam in artis formam redactam). Ut *amuletum* proponebatur *stercus amatae* in amantis calceum positum, unde OVIDIUS:

Illa tuas redolent Phineo medicamina mensas,
Non semel est stomacho nausea facta meo.

(73) Manual. pract.

(74) Promptuar. mat. med.

(75) PLUTARCH. in symposiac. probl. quare etiam OVIDIUS:
Utilius sumes acuentes lumina rutas.

(76) SENNERT l. c.

(77) FASCHIUS l. c.

(78) CRATES THEBANUS amore laborantibus haec offert remedia: « amori, inquit, medetur *fames*; sin aliter *tempus*, quod si nec his uti possis, *laqueus* ». Italorum Poëta adversus eundem morbum commendat: « *poco pane, molt' acqua e bastonate* ».

CAPUT XXII.

DE TAEDIO VITAE, ET SUICIDIO.

§. XCIII.

DEFINITIO. SCRIPTORES.

Definitio.

1. Privatio voluptatis, quae ex conscientia propriae existentiae oritur sine spe, aut voluntate illam recuperandi, saepe cum impulsu ad destructionem sui ipsius, *taedium vitae* (79) nuncupatur.

Scriptores.

2. De taedio vitae, et suicidio scripsere: ROBECK (80), POSNER (81), WEISEN (82), HOFFMANN (83), FASCH (84), ROEHRENSEE (85),

(79) Melancholia anglica SAUVAGESII, Misopsychia SWEDIAUR (a gr. μισεῖν, odere, et ψυχή, vita), *Germ.* Ueberdruss des Lebens. *Gall.* Désir du suicide. *Angl.* Wearing of life. *Pol.* Obrzydzenie zycia.

(80) Exercitatio de morte voluntaria. Marb. 1753.

(81) Diss. περὶ τῆς αὐτοχειρίας. Jen. 1657.

(82) Diss. περὶ αὐτοχειρίας. Gies. 1668.

(83) Diss. de αὐτοχειρία Hal. 1681.

(84) Diss. de autochiria. Jen. 1681.

(85) Diss. de autochiria subtili. Wittemb. 1702.

Wizleben (86), Slevogt (87), Grosser (88), Alberti (89), Strecker (90), Camper (91), Groddeck (*), Gruner (92), Elvert (93), Muller (94), Bischoff (95), Rowley (96), Osiander (97), et clarissima Stael Holstein (98).

(86) Diss. de autochiria. Lips. 1702.

(87) Pr. de autochiria medica in gen. Jen. 1707. Diss. αὐτοχειρίας med. nonnulla specim. Jen. 1708.

(88) Disp. de hom. suaem. vit. destruct. Erf. 1727.

(89) Diss. de autochiria literatorum. Hal. 1527. Diss. de autochiria occulta. Hal. 1744.

(90) Diss. de vitae, ac necis jure circa se ipsum. Erf. 1755.

(91) *Gedachter over de Kindermoord en Zelfmoord. Leuwaarden* 1774.

(*) Comment. de morte voluntaria ab ordine Theolog. praemio ornata. Goett. 1785.

(92) Diss. de suicidio in foro med. non semper culp. Jen. 1792. Diss. de suicidii notis in foro fere dub. Jen. 1793. Programmata de imputat. suicidii dubia casu singulari illustr. Jen. 1797.

(93) *Ueber den Selbstmord in Bezug auf gerichtliche Arzneykunde. Tubing.* 1794.

(94) *Selbstmord, nach medicinischen und moralischen Ursachen betrachtet. Frankf.* 1796.

(95) *Versuch uber den freiwilligen Tod. Nurnb.* 1797.

(96) *Treatise on madness and suicide.* Lond. 1804.

(97) *Ueber den Selbstmord.* Hannov. 1812.

(98) *Réflexions sur le suicide.* 1813.

§. XCIV.

SYMPTOMATA. AUTOPSIA CADAVERUM. CAUSSAE.

Symptomata.

1. Odium vitae saepe *taedium simplex* (99) praecedit. Qui hoc malo tentatur a continua agitatur inquietudine, oscitationes crebrae illius suspendunt respirationem, brachia convulsive distenduntur, locum continuo mutare cogitur, oculos nulli objecto, mentem nulli ideae affigere potest, laborem aeque ac quietem respuit, verbo, vacuum nullo pacto adimplendum percipit. Jam vere haud pauci *odio hominum* (100) correpti urbes, et societates fugiunt, abhorrent, et in locis desertis, montibus, sylvis etc. vitam solitariam degere praeferunt. Alii languidi, moesti, omnium remediorum pertaesi res suas componunt, testamenta scribunt, amicis per epistolas dein transmittendas valedicunt, et postremo filum vitae, quod perquam tenue, et breve natura homini largita est, vi maxima corpori il-

(99) Pulchre describitur a clarissima Edgworth in fabula milesia sub titulo: *L'ennui.*

(100) Apanthropia Swediauri a gr. α privat., et ἄνθρωπος homo. Aversio a societate hominum. *Germ.* Menschenhass.

lata, et nunc adacto in pectus ense, nunc rapidis concredito corpore undis, vel sumto clam viscera, humoresque depascente veneno, vel via aëri per laqueum interclusa, vel pulvere pyrio cerebrum adurendo, abrumpere non verentur.

Autopsia cadaverum.

2. Cadavera sic peremtorum, praeter laesiones a morbis peculiari genere pendentes, exhibuerunt dilatationes vasorum sanguiferorum durae matris (*), corpus callosum solito mollius (1), os longitudine pollicis, et latitudine trium linearum in fossa super ventriculum cerebri dextrum locatum (2), vitia cordis, et inflammationes chronicas intestinorum (3), concrementa biliosa in cystide fellea (4), saepeque nil, quod in sensus caderet, morbosi (5).

(*) Home l. c. Cfr. Cap. IV. §. XXII. 7.

(1) Loder's *Journ. f. d. Chir.* 4. B. 1. St. p. 162. 167.

(2) *Merkwurdige, nach dem Tode entdeckte, Ursache einer Schwermuth, welche mit dem Selbstmorde endigte*, in Hufeland's u. Himly's *Journ. d. pr. Heilk.* 1813. *April.* p. 31. Simile exemplum obvenit in eodem diario. a. 1812. *April.*

(3) Osiander l. c.

(4) Fourcroy *discours prononcé à la séance de l'Ecole de médecine de Paris du* 23 *vendémiaire ann.* IX.

(5) Nuper cadaver carnificis sui ipsius aperui, in quo omnia viscera optime constituta inveni.

Caussae.

3. Caussae taedii vitae, et praesertim suicidii quaerendae sunt in educatione depravata (6), in fanatismo politico (7), in lectione librorum pseudo-philosophicorum (8), et fabularum milesiarum (9), in vacuitate animi ob complementum omnium votorum (10), in solitudine (11), in malo exemplo (12), in verecun-

(6) E. c. apud Romanos, aliosque populos bellicosos, et in rapinis sustentationem quaerentes, utpote qui indiscriminatim vitae contemtum extollunt.

(7) Historici, et poëtae pagani cum saepe autochiriam celebrent, mirum non est, juventutem studiis classicis intentam saepe ideas perversas de qualitatibus boni civis acquirere.

(8) Op. Helvetii, et sociorum.

(9) E. c. pessimus liber: *Werthers Leiden*, v. Goethe.

(10) Engel *Philosoph. fur die Welt.* 3. B. p. 20.

(11) Jactant solitudinem Alberti (diss. de solitud. med, util. Hal. 1737.) et Zimmermann (*V. d. Einsamkeit*), ast certe non perfectam, sed eam, de qua Petrarcha dicit: « Volo solitudinem non solam ». (De vita solitaria).

(12) Qua de re testatur factum puellarum Milesiarum, quae tanta mortis cupiditate ardebant, ut turmatim se laqueo suspenderent, nec caussam quisquam agnoscebat; tandem sapientis civis consilio senatus edicto jussit, ut quae prima suicida reperta foret, ea mortua omnino nuda in media platea exponeretur; quo decreto illico puellarum furori finis factus est (Plutarchus *des vertueux faits des*

dia (13), desperatione (14), amore (15), ira (16), et maxime in defectu Religionis (17). Concurrunt aër densus nebulosus (18), ab usus liquorum fermentatorum (19), *onanismus*

femmes. T. I. Cfr. Benkoe in Eph. meteor. Vol. 3.). Miror hinc, censores librorum permisisse, ut nefandum opusculum; *Biographien d. Selbstmorder* vendatur.

(13) E. c. nubiles graviditati celandae impares.

(14) E. c. Aethiopes ad servitutem damnati, victimae lusus chartarum, fidem fallentium etc.

(15) Cap. XXI. §. LXXXV. 2.

(16) Extant autochiriae exempla vindictae caussa peractae, scilicet ut praepositis, et parentibus severis injuria fieret.

(17) Facta loquantur; « *Nach eingegangenen polizeilichen Berichten sind im Verlauf von neun Monaten blos in sechs der sudlichen Provinzen der Nieder lande* 37 *Selbstmorder bekannt geworden. Ueberhaupt hat man seit der franzosischen Revolution unter allen Standen eine systematische fortschreitende Verwilderung und Irreligiositat bemerkt, welche naturlich, wenn ausseres Ungluck hinzutritt, kaum anders zu enden vermag* ». *Oesterreich. Beobachter*. 1816. N. 215. In *Dania*, teste eodem folio (N. 201.) numerabantur carnifices sui ipsius ab an. 1785. ad 1790. N. 181., ab 1790. ad 1795. N. 209, ab 1795. ad 1800. N. 261., et ab 1800. ad 1805. N. 319. Berolini an. 1816. inter 5474 mortuos, 70 suicidae inveniuntur! (*Hamburger Corresp*. 1817. N. 25.). Petropoli an. 1815 demortuorum 11829, solum 15 autochirios exhibuerunt (ibid. N. 27).

(18) E. c. Angliae.

(19) Osiander l. c.; attamen vulgus in Rossia, et Polonia liquoribus fermentatis abutitur, et rara est autochiria.

(20), et similia. Opinionem suicidas id genus mortis eligere, ad quod a peculiari corporis constitutione impelluntur, e. c. ita ut, qui ardore interno excruciantur, se in aquam frigidam conjiciant, qui pectoris angustiam experiuntur, gulam rescindant (*) necdum ab experientia confirmatam habemus. Contra ea constat, mares potius sclopeto, feminas veneno uti (**).

§. XCV.

DIAGNOSIS. PROGNOSIS. CURA.

Diagnosis.

1. Ne *taedium simplex*, quale homines laute, et otiose viventes, praesertim vero feminae urbium majorum incolae experiri solent, pro gravi quodam morbo a medicis fidei bonae habeatur! Diagnosis *taedii vitae* magis ex aegri actionibus, quam verbis desumitur. Cavendum, ne temere de praegresso *suicidio*, utpote cum peracto ab aliis *homicidio* confundi potest, judicemus (***). Haberi illud solet nostro aevo in-

(20) Tissot *L'onanisme. Oeuvres* T. I. p. 40.

(*) Osiander l. c.

(**) Klein l. infra citando.

(***) De diagnosi suicidii sub respectu medicinae forensis lectu admodum digna vir cl. Klein protulit in Hufeland's

discriminatim pro *morbi effectu*; quae opinio a sectione cadaverum quodammodo confirmari videtur. Verum si perpendamus, vitia in cadaveribus post autochiriam reperta, et in cadaveribus hominum morte naturali defunctorum inveniri, et fortuito existere posse: plurima cadavera autochiria peremtorum plane nil morbosi ostendere: suicidium neque apud omnes gentes, neque in omnibus civium classibus, quamvis non minus morbis cerebri, cordis, et cystidis felleae subditis obvenire, sed obvenire potissimum, ut diximus, inter homines irregulariter viventes, praecepta Religionis, et moralis flocci pendentes, et impulsui destructionis sui ipsius, ut appetitus depravati speciei, cedentes, haec omnia si perpendamus, suicidium, eo casu excepto, ubi revera signa alienatae mentis adfuere, potius pro *effectu oblivionis criminalis officiorum erga* DEUM, et *rempublicam*, quam directe pro effectu morbi habemus. Qua de caussa, si nostra quidem in foro auctoritas admitteretur, id solum impetrare vellemus, ut petitione principii non semper peccetur, qua quivis sui ipsius carnifex ob id ipsum, quod sibi violentas intulerit manus, pro maniaco, quod inprimis esset demonstrandum, declaratur, ut-

Journ d. pr. Heilk 1816. *Novemb. p.* 21. Certe plurimi de suicidio accusantur, qui clandestine ab aliis interfecti fuere

que quovis in casu rerum circumstantiae, ex quibus defunctum aut pro mente prius capto, aut pro criminis reo habere licet, exacte eruantur, ne leges in suicidas, quas sapientiae veterum debemus, pueriliter eludantur.

Prognosis.

2. *Taedium simplex*, si negligatur, in graviores morbos nervosos, ut hypochondriasin, convulsiones, maniam, et odium vitae transire potest. Aliquando, accidentibus infortuniis aegrum excutientibus, malum sponte evanescit. Taedium vitae, utpote periculum autochiriae minitans, nunquam spernendum.

Cura.

3. Taedio pro varia illius origine, et gradu *cura* tum moralis, tum physica adversus moerorem profundum commendata, adaptari debet. Qui sua cadit manu, saepe uti asphycticus curandus. Ut leges severae adversus suicidas olim stabilitae, casu maniae excepto, executioni mandentur, optamus. Enimvero cadaveri consuetam sepulturam denegando, ut sapientissime canones ecclesiastici sanxerunt, agnati taedio vitae affectorum tale opprobrium timentes majorem eorum curam habebunt, et infamiae nota, quae autochiria necatis inuritur, imaginationem hominum impulsum ad suicidium percipientium

salutari modo feriet, ut supra allatum puellarum Milesiarum exemplum abunde docet. Quae singula ne severa nimis appareant, aut crudelia! A communi enim hic recedimus nostri aevi opinione intime persuasi, genus humanum non tam facile gubernari posse, ac desiderandum foret, bonum publicum universum exposcere, ut vita humana maximi habeatur momenti, homines autem, qui propriam non curant vitam, nec aliorum vitam aestimare, unde non mirum, si suicidium cum criminibus omnis generis pari passu incedat, saepeque copuletur.

Caput XXIII.

DE DELIRIIS.



§. XCVI.

DEFINITIO. SCRIPTORES. DIVISIO.

Definitio.

1. Ideae objectis minime respondentes, ac perturbatae cum privatione usus rationis, si malum acute decurrat, *delirium* (21) efficiunt.

Scriptores.

2. Delirii varios modos antiquitas docte statuit, uti videre est ex Hippocrate (22), Ga-

(21) *Etymologia. Lira*, fossa recta vocabatur, quae in agris ducebatur, ut terrae uliginem reciperet, unde *delirus* dicebatur homo, quod a recto ordine et lira quasi aberraret. Alii maluerunt vocabuli hujus originem deducere ἀπὸ τοῦ ληρεῖν, quod a λῆρος, nugae, ineptiae derivatur. *Synon.* Paraphrosyne, aut paraphronia, a *gr.* παρὰ, erronee, et φρονέω, sapio, intelligo. Paracope Swediaur. *Germ.* Irrereden. *Gall.* Délire. *Angl.* Delirium. *Pol.* Oblakanie.

(22) Praedict. L. I. Text. 24. Chart. T. VIII. p. 715., et alibi saepius, e. c. aph. 53. sect. 6. Chart. T. IX. p. 285. Cfr

LENO (23), aliisque (24). Nec HELMONTIUM (25), hinc sine laude praeterimus. Legantur et BOERHAAVE (26), SWIETEN (27), ac ii, qui speciatim de delirio scripserunt; nempe: FABRICIUS (28), DEUSING (29), DONCKERUS (30), MENIOT (31), VAN DER BUSCH (32), HEREDIA (33), CRAUSIUS (34), VATER (35), LUTHER (36), TEICMEYER (37), TROTZ (38), WEDEL (39), BUCHNER (40), PLIENINGER (41), MANGOLD (42),

DOERING diss. Hippocrat. doctrina de deliriis, opt. semiot. exemplar. Marb. 1790.

(23) Ibid.

(24) E. c. CELSUS Lib. III. cap. 18.

(25) De febribus. Cap. XI. N. 13.

(26) Institut. §. 566. 568 etc.

(27) Commentar. Vol. II. §. 700.

(28) Diss de delirio, phrenitide. Rostock. 1619.

(29) Diss. de delir. simpl., et phrenet. Groen. 1658.

(30) Diss. de delirio. Lugd. Bat. 1662.

(31) Diss. de delirio in genere. V. diss. pathol. 1662.

(32) Diss. de delirio. Leid. 1668.

(33) De natura delirii, et ejus caussis. Op. T. III.

(34) De delirio in genere. Jen. 1686.

(35) Diss. de deliriis. Wittemb. 1716.

(36) Diss. de delirio, Erf. 1731.

(37) Diss. de delirant. furore, et dement. Jen. 1733.

(38) Diss. de deliriis. Argent 1740.

(39) Diss. de deliriis. Jen. 1744.

(40) Diss. de delir. vitam, et mort. praesag. Hal. 1757.

(41) Diss. de praecip. delir. caussis. Stuttgard. 1779.

(42) Diss. de delirio. Erf. 1781.

STEVEN (43), BELEN (44), ei ESQUIROL (45).

Divisio.

3. *Delirium* dividitur in *symptomaticum*, et *primarium*. Utrumque probe a *somniatione*, et quodammodo a *mania* distinguendum est. Distinguitur a *somniatione*, cum qua pluries confusum fuit (46), quod delirium somni imaginem haud refert, periodis tam stricte non alligatur, et ordine in rebus peractis minime insignitur. De delirio aliorum morborum symptomate in sequenti paragrapho quaestio erit. Delirio primario duo specialia capita dicamus, quorum alterum *delirium a vino*, aliisque *liquoribus fermentatis*, alterum *paraphrosynen a venenis narcoticis* amplectetur.

§. XCVII.

DE DELIRIO SYMPTOMATICO.

Generatim.

1. Sunt qui in levissimis morbis delirare consuescunt, ut hypochondriaci, hystericae, et eb-

(43) Diss. de deliriis. Goett. 1782.

(44) Diss. de delirio in genere. Lovan. 1782.

(45) *Dict. des sciences méd. T. 8. articl. Délire.*

(46) Cfr. DODDRIGE in *Philos. transact. N.* 4 LESKE *auserl. Abh.* 3. *B. p.* 244. Ephem. nat. cur. Dec. II. ann. 6. Append. p. 14.

riosi; sunt contra quorum mens neque sub vehementissima febre perturbatur, ut rustici, hominesque fortes, et sobrie viventes. Delirium symptomaticum frequentissime sub febrium curriculo obvenit, ac *febrile* dicitur. Legantur de eo LOVELE (47), BING (48), SCHEFFEL (49), XELL (50), et MEYER (*). Aeger tali delirio, prehensus plerumque omnes cerebri functiones perturbatas exhibet; etenim nec percipit, nec objectum ullum praesens, e. c. lectum, cubile etc. cognoscit, adstantes non videt, nec audit eos loquentes. Praesagiunt tale delirium (51) decubitus in ventrem (52), stridor dentium (53), magna, et longo tempore facta respiratio

(47) Diss. de febre delira, seu delirio. Leid. 1673.

(48) Diss. de delir. febrili. Hall. 1733. DOERING T. I. p. 144.

(49) Diss. de pyromania. Gryphsw. 1750.

(50) Diss. deliria febrilia. Gies. 1784.

(*) Diss. de delirio febrili meletemata. Hal. 1797.

(51) Cfr. Comment in libr. I. Praedict. HIPPOCRATIS. Text. I. Chart. T. VIII. p. 6., et HIPPOCR. in Prognosticis sentent. 3. Chart. l. c. p. 584.

(52) « Pronum in ventrem cubare, cui non assuetum est, etiam sano sic decumbere, *delirium* significat, aut dolorem locorum circa ventrem ». *Ibid.* p. 603.

(53) « Dentibus stridere, quibus non consuetum est a pueritia, *insaniam*, et mortem portendit ». *Ibid.* p. 604.

(54), pulsatio hypochondriorum (55), oculorum motus creber (56), vigiliae (57), fuga abscessus critici (58), dolor auris acutus (59), lingua aspera, arida, aut tremula (60), facies bene colorata cum adspectu torvo (61), motus inconsueti (62), ferox responsum in homine moderato (63), gesta indecora in aegro verecundo (64), manus ante faciem attollere, muscas quasi venari inani opera, floccos carpere de vestibus, vel pariete (65), et arteriarum carotidum, temporalium etc. pulsatio inconsueta

(54) *Ibid.* p. 607.

(55) « Si in hypochondrio pulsus insit, perturbationem significat, vel *delirium*; verum oculos eorum intueri oportet ».

(56) « Si enim (oculi) crebro moveantur, expectanda *insania* est. *Ibid.*

(57) « Vigilia futurum delirium praesagit ». *Ibid.* p. 625.

(58) *Ibid.* p. 657.

(59) *Ibid.* p. 670.

(60) *Ibid.* p. 713 et in Coacis 234, ubi instar dubii proponitur hoc signum (p. 865.), mihi saepe nullo subsequente delirio visum.

(61) *Ibid.* p. 864. Coacis N. 214.

(62) « Praeter consuetudinem aliquid facere, vel aliquid magno studio curare prius non consuetum, aut contrarium pravum, ac delirio proximum ». *Ibid.* p. 855., N. 48.

(63) In Prorrhet. L. I. *Charter.* T. VIII. p. 730.

(64) In Prognost. *Ibid.* p. 630. 631.

(65) *Ibid* p. 606.

(66). Ad morbos febriles, qui frequenter delirio stipari solent, spectant:

Delirium in febribus intermittentibus.

2. *Febres intermittentes.* Delirium hic oriri potest vel ob latentem encephalitidem (67), vel ob irritationem verminosam, vel ob affectionem hepatis, vel ob peculiarem systematis nervosi sensibilitatem, vel ob ignotam annuam constitutionem. Quandoque delirium totum febris intermittentis paroxysmum efficit, ac sic dictam *febrem intermittentem larvatam perniciosam maniacam* constituit. A tali morbo delirium fugax, sub stadio caloris obvium, plerumque benignum, aut accidentale distingui debet. *Cura* febrium intermittentium delirio stipatarum principiis generalibus innititur (68). Ast maxima *complicationum* ratio habenda est. Qua de caussa saepe vigente paroxysmo locum obtinent vel *hirudines* ad caput, vel *clysteres assae foetidae*, vel *cucurbitulae scarificantes* ad hypochondrium dextrum, vel *opium*, vel alia genio epidemico accommodata.

Delirium in febribus continuis.

3. *Febres continuae.* Jam monuimus, deli-

(66) Sauvages l. c. p. 371.
(67) Cap. III. §. XVIII. 7.
(68) P. I. Vol. I. §. XXX.

rium saepe comitem se sistere *pestis* (69), *febris flavae Americanorum* (70), *hemitritaei Daciae* (71), *typhi* (72), et praesertim specierum illarum, quae *febres nervosae versatiles* (73), et *nervosae lentae* (74) dicuntur, porro *febrium gastricarum*, tum *primariarum*, praesertim ex esu *mytilorum* (75), tum *secundariarum*, potissimum *biliosarum* (76), et *verminosarum* (77), *febrium rheumaticarum* (78), et *inflammatoriarum* (79). Rerum positiones delirio in febribus intermittentibus faventes et ei in febribus continuis favent. Maxime autem hic ad conditionem viscerum abdominalium respiciendum esse, iterum iterumque omni jure monuerunt STOLL (80), et RAHN (81). Ac re quidem vera quot deliria non sedantur in fe-

(69) L. c. §. XXXVII. N. 1.
(70) L. c. §. XLIV.
(71) L. c. §. XLVI. 2.
(72) L. c. §. XLIX. 2.
(73) L. c. §. LI. 10.
(74) L. c. §. LIV. 2. Not. 12.
(75) L. c. §. LIX. 3.
(76) L. c. §. LX. 3.
(77) L. c. §. LXII. 2.
(78) L. c. §. LXIV. 3. et LXV. 3.
(79) L. c. §. LXIX. 2.
(80) Ratio medend. T. III.
(81) Diss. cit. v. cap. nostr. I. §. III. N. 29.

bribus continuis per *clysteres cum aceto*, per *fotum emollientem tepidum* hypochondriorum, per *lenia evacuantia*, et *anthelmintica*, ne iterum de praeceptis adversus delirium in typho quaestio fiat (82). Et *convalescentia* suum habet delirium, interdum *inanitionis* progeniem (83).

Delirium in morbis exanthematicis, aliisque.

4. *Morbi exanthematici, aliique.* Spectare huc praecipue *scarlatinam* (84), jam dictum est. De delirio symptomate *encephalitidis* (85), *hydrocephali* (86), et *apoplexiae* (87) vix egimus. Reliquorum deliriorum *ophthalmiti-*

(82) L. c. §. LV. 38. Addi debet *musica*, de cujus virtute ad compescendum delirium febrile legantur: *Académie des sciences l'an* 1707. hist. p. 8, *l'an* 1708. hist. p. 27, Swieten comment. T. II. 702. p. 334, Ettmuller disp. effect. mus. in hom. Lips. 1714.

(83) « Post pleuritidem sanatam, ait Gilibert, vidi hominem ob inanitionem delirantem, quod probatum fuit curatione delirii, quae tota consistebat in nutritione appropriata. Quando enim comedebat, cessabat delirium, peracta digestione iterum delirabat; manducando sapiens fiebat ». (Advers. med. obs. 5.).

(84) P. I. Vol. II. §. LI. 3.

(85) Cap. III. §. XIV. 4.

(86) Cap. IV. §. XXII. 4.

(87) Cap. V. §. XXVIII. 3.

dem, *otitidem*, *inflammationes diaphragmatis*, *morbos pulmonum* tum *acutos* (88), tum *chronicos*, *suppurationes viscerum* (89), *puerperium*, *haemorrhoides* etc. comitantium, sparsim in curriculo praesentis operis mentio injicietur.

Caput XXIV.

DE EBRIETATE.



§. XCVIII.

DEFINITIO. LITERATURA.

Definitio.

1. Delirium ex abusu vini, aliorumque liquorum fermentatorum ortum ducens, *ebrietas* (90) dicitur.

(88) Lanoix, *quels sont les moyens les plus propres à combattre le délire, qui survient dans les maladies aiguës de la poitrine?* Diss. inaug. Paris. 1808.

(89) Diss. de hecticorum deliriis malo omine oriundis. Hal. 1765. Esquirol l. c.

(90) *Syn.* Delirium temulentum. Temulentia Plateri. Paraphrosyne temulenta Sauvagesii (Temulentia a prisca voce

Literatura.

2. Objurgatio, quam merentur medici prolixe satis alios morbos enarrantes, et vix de *ebrietate* loquentes, non attingit STROMERUM (91), WILLICHIUM (92), SEIDELIUM (93), MAGIRUM (94), WELDSCHMIDTUM (95), BECKIUM (96), ETTMULLERUM (97), HANNEMANNUM (98), RASTIUM (99), RONDELETUM (100), WEDELIUM (1), MALLINKROTUM (2), PICTORIUM (3), JUCHIUM (4),

temulentum, quod vinum est, derivatur). *Germ.* Der Rausch, die Trunkenheit. *Gall.* L'yvresse. *Angl.* Drunkeness, intoxication. *Ital.* Ubbriacatura, ebbro. *Pol.* Pijanstwo.

(91) Decreta medica de ebrietate. Lips. 1531.

(92) Problem. de ebrior. affect., et morib. Fr. 1543.

(93) De ebrietate. Lips. 1594.

(94) De vinolentia, ejusque malis. Francf. 1618.

(95) Diss. de ebrietate, et insolentibus aliquot ejus affectibus. Gies. 1677.

(96) Exper. circa natural. rerum princip.

(97) Diss. de temulentia. Lips. 1678.

(98) Diss. de usu, et abusu inebriantium. Kiel. 1679.

(99) Ebrietas medice considerata. Regiom. 1682.

(100) M. M. Cap. 13.

(1) Diss. de vini dulcis plenis. Jen. 1692.

(2) Diss. ebrietatis κατολογία Traj. ad Rh. 1723.

(3) Serm. convival. ebrietatis in exilium relegatae threnodia. v. HALLER's bibl. med. pract. Vol. II. p. 89.

(4) De ebrietate, ejusque noxis praecavendis, et tollendis. Erf. 1741.

Horum (5), Darwinum (6), Trotterum (7), Rushium (8), et Szymkewicz (*).

§. XCIX.

SYMPTOMATA. AUTOPSIA CADAVERUM. CAUSSAE.

Symptomata.

1. In prima ebrietatis periodo observantur exhilaratio mentis, fuga curarum, laetitia cordis, sensus jucunditatis, amoenaeque vertiginis, oculi fulgentes, facies splendens, os garrulum, cutis rubra, transpiratio aucta, sitis cum frequenti urinam non sine levamine deponendi nisu, pulsusque plenus, fortis. Jam vero major vertigo, aurium tinnitus, visus duplex, ac ideae sine nexu, atque citra voluntatis imperium sibi invicem inordinate antecedentes occurrunt. Quivis tunc mores, et ingenium talia, qualia sunt, candide, recteque, omni simulatione remota, exhibet, unde dictum: *in vino veritas*; iracundus ete-

(5) *Abhandlung von der Trunkenheit.* Stralsund. 1747.

(6) Op. c. Vol. I. Sect. 21.

(7) *Essay medical, philosophical and chemical on drunkeness and its effects on the human body.* Lond. 1804.

(8) *Inquiry into the effects of ardent spirits upon the human body and mind.* Philadelphia 1805.

(*) *Dzielo o Pijanstwie.* Viln. 1818.

nim exardescit, verberat, mordetque: amasius suspirat, osculatur: fatuus in cachinnationem prorumpit, donaque nolentibus obtrudit: tristis lacrymas profundit, ac de religione, et morte loquitur: alii peculiari modo hallucinantur (9), donec, exhaustis quasi viribus, balbutire incipiant, subsequentibus facie pallida, sputatione tenaci, vomitu, sphyncterum officio deleto, artuum tremore, corporis vacillatione, et statu febrili. Quae abominanda scena per cataphoram (10) saepe nychthemerum (11), et ultra durantem, aliquando per convulsiones (12), apoplexiam (13), aut mortem (14) terminatur.

Autopsia cadaverum.

2. Feruntur cadavera ebriorum exhibuisse

(9) Sic referente PLATERO (Obs. L. I. p. 37.) quidam ebrius in platea lunae splendorem in terra intuens existimavit se videre fluvium profundum, et quo natare posset, unde vestimenta deposuit etc. Cfr. PROSP. ALPINUM med. Aegypt. L. IV. c. 2. p. 122.

(10) Cap. VI.

(11) GALENUS, HENRICUS AB HEER, et DARWIN de consueta ebrietate rite monent, eam non omnino fugari, nisi postridie eadem circiter hora, qua die praecedente contracta est.

(12) PERRY in *Journal de médecine T.* 91. *p.* 349.

(13) Cap. V. §. XXVI.

(14) Ephem. nat. cur. Dec. I. ann. 3. obs. 313. ann. 4 et 5. Obs. 17.

ventriculi expansionem (15), distensionem vasorum cerebri (16), aërem in iis (17), et in ventriculis encephali serum odorem vini (18), vel cremati (19) referens.

Caussae.

3. Ebrietatem praesertim inducunt *vina* antiqua, acido expertia, vix diuretica, gaz acidum carbonicum continentia, sulphure, aut ambra (20) imbuta, *alcohol* aromatibus, sinapi, lauroceraso nuptus, *potus* ex fructibus, melle (21), aut *lacte* (22) per fermentationem parati, *cerevisia* cum duplici humuli lupuli additamento, vel cum venenis narcoticis (ut sunt helleborus albus, lycoperdon bovista, ledum palustre, hyoscyamus niger, lolium temulentum) confecta, *aqua gaz acido carbonico* imbuta (23), haec-

(15) *Ibid.* Cent. X. obs. 85.

(16) Weber obs. med. Fasc. 2.

(17) Muller *Einleitung. zu dem Entwurfe einer neuen Methode. Frf.* 1754. *p.* 162.

(18) Wepfer obs. p. 7.

(19) Schrader obs. anat. med.

(20) Matthiol. ad Dioscoridem. Lib. I. cap. 20.

(21) Ex melle apum floribus tiliae europaeae nutritarum Lithuani, praesertim urbis Kowno incolae, liquorem parant, vulgo *Lipiec*, vino hungarico aequiparandum, et, dum antiquum, valde inebriantem.

(22) Sennertus Prax. L. IV. P. II. de inf. morb. c. 7.

(23) Ovidius (Lib. XV. metamorph.) de *amne* Lyngestii dicit;

que omnia non solum epota, sed et sub forma vaporis, balnei, fotus (24), clysterum (25) adhibita.

§. C.

DIAGNOSIS, PROGNOSIS.

Diagnosis.

1. *Ebrietas* saepe a furibus, aliisque hominibus fraudulentis *simulata* cum *apoplexia*, aliisque *delirii speciebus* confundi potest. Notio vitae generis aegri, suspicio adstantium, vomitus, et conditio materiei rejectae, praesentia, vel absentia halitus vinosi diagnosin plerumque (26) adjuvare solent.

Hunc quicunque parum moderato gutture traxit,
Haud aliter titubat ac si mera vina bibisset.

Cfr. Plinium (Hist. nat. Lib. II. c. 103.), et effectus aquae nostrae Selteranae.

(24) Loubet *traité des plaies d'armes à feu.*

(25) Borellus Cent. I. obs. 56. Paullini Cent. III. obs. 8.

(26) Certe non semper, praecipue in nosocomiis, ad quae aegri saepe ignoti, noctu in plateis inventi, adportantur. Advocato tunc medico juvene somnolento saepe vesicatoria, et arnica illi praescribuntur, qui postridie debellata per somnum ebrietate, sat bene se habens, gratiasque agens, domum festinat. Cfr. Henr. ab Heer obs. 19.

Prognosis.

2. Ebrietatem poena comes premit, et phalanx morborum ipsam insequitur: enimvero caput foedis exhalationibus dirumpitur, cerebrum vertigine tentatur, oculi torquentur, aures undoso spiritu crepant, lingua vacillat, sermo futilis, oris halitus teter, stomachus subvertitur, cordis palpitatio, manuum inepta, et insana gesticulatio, pedum incertus, lubricusque gressus, inquies nocturna, turpes rhonchi, furiales somni, alvi, et vesicae spurcissima solutio, ut in hac eluvie (quemadmodum in coeno lutulenti sues) persaepe volutentur (27). Praeterea inter effectus repetitae ebrietatis specificam physionomiam (*), et habitum sui generis (**), nec non peculiares tussis gravissimae insultus matutinis horis cum lacrymarum expressione, screatione, vomituritione, vomitu quasi suffocativo recensemus. Ebrietatem viam ad *encephalitidem tremefacientem* (28), ad erythema *guttam roseam* (29), et ad *combustionem spon-*

(27) Jason Pratens. Tract. de curand. cerebr. morb.

(*) Lavater *essai sur la physionomie. Premiére partie.* 16. *fragment.* 3. *addition.*

(**) Ibid. 4. addition.

(28) Cap. III. §. XIV. 6.

(29) P. I. Vol. II. Cap. XX. §. LXXXVII. 2.

taneam (30) parare dictum est. Quivis porro morbus in ebrioso gravius decurrit. Tandem ebrietatis effectus non solum ad ebriosos circumscribuntur, sed generationes futuras attingunt. Ex stirpe enim ebria procreari solent male morati (31), stupidi (32), maniaci (33), et epileptici (34), unde ebriosarum sterilitatem (35), vel ad abortum proclivitatem (36) veluti pro Numinis beneficio habemus. Caeterum sicuti alia mala, ita et ebrietas aliquando salutaris (37).

(30) *Ibid.* §. CLXXX.

(31) Langius Epist. II. N. 9.

(32) Behrens, select. diaet. sect. 3. c. I. §. 7.

(33) Riedlin Lin. med. ann. 1688. August. obs. 26. Cfr. Cap. XXV.

(34) Beverwyk thesaur. sanitat. P. II. c. 2.

(35) Riedlin l. c. Julius. obs. 23. Schreyer scrutin. med. curios. de natura aquae, vini, et cerevis. p. 123. J. P. Frank *System e. vollst. med. Policei.* 1. *B.*, et quotidiana experientia.

(36) Behrens l. c., ac permultae mearum observationum.

(37) Hommets. Non ergo singul. mensib. semel repet. ebrietas salubr. Paris 1643. Langlois diss. non ergo unquam ebrietas salutaris. Paris 1665. Swalwe quaerel. vent. p. 181. Eph. nat. cur. Dec. I. ann. 3. p. 603.

§. CI.

CURA.

Prophylactica.

1. Arduum quidem est abusum vini, et alcohol, utpote liquorum, quibus homines gravibus laboribus, praesertim in climate frigido, vel humido obrutis indigent, e civitate eradicare. Attamen malum saltem imminui, et ad inferiores civium classes restringi posset, si illud religionis, legum, et educationis ope satis oppugnaretur. Praeterea bono exemplo, praecipue sacerdotes (38), medici (39), magistri (40), et parentes esse deberent (41). Sequeretur in-

(38) Clerus est veluti anima reipublicae. Frustra hinc civilitatis habetur sollicitudo, nisi Religionis ministri e crapula, in qua praesertim apud populos nonnullos septentrionales vivunt, evellantur.

(39) Nescio, quo fato contingat, ut classis civium, quae maxime de terribilibus ebrietatis effectibus persuasa esse deberet, medici scilicet, tot individua ebriosa (praesertim in regionibus septentrionalibus) exhibere possit!

(40) Miror, quo pacto in universitatum, et gymnasiorum gremio, homines tolerari possint abusui liquorum fermentatorum dediti!

(41) Pulchre de hoc argumento egit anonymus: *Some inqui-*

spectio cauponarum (42), reclusio ebriorum vias publicas infestantium: omissio poenae mitigationis adversus crimina in ebrietate commissa (cum homo volens in ebrietatem incidisse judicetur), intermissio moris immoderate adhibendi (43), extensio potus coffeae (44), aliaque peculiaribus rerum positionibus accommodata (45). Ad prophylacticam specialem quod spectat, nisi ratio ebriosum abstemium reddat potui liquorum fermentatorum, idea rei cujusdam nauseantis adsocianda est. Quondam, vel ob praeconceptas opiniones abunde a Bruck-

ries into the effects of fermented liquors. Lond. 1814. V. *Bibliotheque Brit. u.* 1815. *Avril. N.* 463, 464.

(42) Possessores Lithuani lucri gratia, nullaque obstante lege cauponarum copiam quotidie adaugent, easque judaeorum manibus tradunt, qui rusticos servos aliunde (quod facile condonandum) ebriosos variis artificiis adhuc allectant, iisque ultimum sic extorquent obolum.

(43) Kesler exercit. academ. de immoderata adhibendi consuet. (*Vom Zutrinken*). 1668. Quae elegans dissertatio leges continet, quibus potissimum debetur, quod vitium ebriositatis, Germanis quondam familiare, maxima parte expulsum sit.

(44) Cfr. Cap. XVII. §. LXXI. 3.

(45) In Scotia *institutum emendationi morali ebriosorum dicatum*, locum habuisse, ex *Edinburgh med. and surg. Journ.* 1805, April, elucet.

MANNO (46), PLATNERO (47), et LENTINIO (48) refutatas, scopus ille attingi studebatur aqua, qua mortuus lavatus erat (49), vino, in quo anguilla (50), vel rana (51) suffocata fuit, ovis noctuae (52), lacertis vivis, vel testudinibus (53), stercore leonis (54) etc. Aliquando *tartratis stibii*, et *potassae* modica dosis potui inebrianti addita nauseam, et vomitum excitando ulteriori illius desiderio frenum injecit. Alias gravis morbus perpessus ebrios ad sobrietatem reducit. Quo pacto *adulterationi* liquorum fermentatorum prospiciendum sit, ad praesentis operis scopum minime spectat.

Cura accessus.

2. Sub ebrietatis insultu profuisse visa sunt immersio in aquam frigidam (55), terror

(46) *Braunschweiger Intelligenzblatter.* 1747.

(47) Diss. de ebriositate. Lips. 1799.

(48) *Beobachtungen der epidem. Krankheit.* p. 100.

(49) Ephem. nat. cur. Dec. II. an. 4. obs. 156. Dec. III. an. I. obs. 15.

(50) ZACUTUS LUSITANUS prax. admirab. L. III. obs. 127.

(51) SACHSIUS in ampelograph. sect. 6. membr. 2. cap. 2. de vini abusu. p. 214.

(52) FR. SCACCHIUS de salubri potu. c. 20. p. 215.

(53) CAPIVACCI L. III. de affect. ventricul. c. 8. de siti.

(54) ALBERTUS M. L. 22. de animal.

(55) Ephem. nat. cur. Dec. I. an. 2. obs. 217. TROTTER med. nautica.

(56), dolor (57), lapsus (58), epithema scroti cum aceto (59), scarificationes (60), et musica (61). Satius existimamus curam a somno expectare, ac interea quietem, silentium, capitis denudati erectam positionem, debitamque custodiam, porro *clysteres* cum aqua, et aceto, potum *limonatae*, aut aquae saccharatae (62), et elapsa irritationis periodo, infusum *coffeae* tostae, ipsumque liquorum fermentatorum usum (63) commendare. Si apoplexiae, aut alterius morbi periculum urgeret, therapiae illis accommodatae locus foret.

(56) Riedlin l. c. 1695. p. 283. Ephem. nat. cur. l. c. Langius op. T. III. p. 30.

(57) Langius l. c.

(58) Maucharts *Repertorium fur die empirische Physiologie.* Nurnb. 1792. 1. Th. p. 108.

(59) Ab Heer obs. N. 19.

(60) Paullini Cent. III. obs. 7.

(61) Plutarchus asserit, Scythas, quoties plus satis vino indulsissent, instrumenta musici generis pulsare consuevisse, ut discussis voluptatibus animum ad pristinam continentiam, et moderationem revocarent. Cfr. Ettmulleri diss. c. de effect. music.

(62) Hufeland's *Journ. d. pr. Heilk.* 11. B. 1. St. p. 190.

(63) Horstius Op. T. III. p. 19. Sic *schola Salernitana*:

Si nocturna tibi noceat potatio vini,
Hoc tu mane bibes iterum, et fuerit medicina.

Caput XXV.

DE PARAPHROSYNE A VENENIS.

§. CII.

DE ARGUMENTO IN GENERE.

Quae venena.

1. Venena delirium excitantia, a *papavere somnifero*, *hyoscyamo nigro*, *atropa belladonna*, *datura stramonio*, *agarico muscario*, aliisque *narcoticis* largiuntur. De singulis in specie; additis ad calcem diagnosi, prognosi, et therapia in genere.

Scriptores.

2. Doctrina de venenis narcoticis tradita est a Camerario (64), Lindenstolpio (65), Spielmanno (66), Knollio (67), Gmelinio (68),

(64) Memorabilia Cent. III.

(65) De venenis. Lips. 1739.

(66) De vegetabilibus venenatis Alsat. Argent. 1766.

(67) Diss. sistens plantas umbelliferas. Lips. 1771.

(68) *Gesch. d. pflanzengifte.* Leipz. 1777. Nurnb. 1803.

Willmero (*), Puhnio (69), Wilkeo (70), Garnio (71), Luthero (72), Orfilao (73), aliisque (74).

§. CIII.

DE ARGUMENTO IN SPECIE.

Delirium ab opio.

1. *Opii* effectus delirii in populis, quos Muhamedis religio tenet, praecipue obvii sunt. «Post captum opium hi ipsi hilaritatis sensu afficiuntur gratissimo, ad omnia munia aptiores sese existimant, quidam inebriati in nugas, et petulantiam erumpunt, imagines gratas varias obser-

(*) *On the poisonous vegetables.* Lond. 1780.

(69) Diss. de venenis vegetabilibus generat. Erlang. 1784.

(70) *Ueber die Giftpflanzen der Krautergarten.* 1787.

(71) *Beschreibung der haufigsten deutschen pflanzengifte.* Wittemb. 1792.

(72) De venen. vegetabil. in genere, et in specie de plantis venenatis in agro Erford. sponte crescentibus. Erford. 1792.

(73) Op. c. v. Cap. nostr. I. §. III. N. 75.

(74) Ne dicam de meo opusculo; *Handb. d. Toxicologie. 2. Aufl. Wien* 1802. legantur Frege *Anleitung z. Kenntniss d. schadl. u. gift. pflanzen f. Stadt. u. Landschulen. Kopenh.* 1796. *Giftpflanzenbuch. Berlin* 1802. *Des plantes vénéneuses, et suspectes de la France. L'an VI.*

vantes oculis mente conspiciunt, omnem mortis timorem deponunt, ferociores ad pugnas subeundas evadunt, nec minori impetu ad veneris castra sequenda impelluntur. Defervescit autem intra quatuor vel quinque horas haec virtus citius serius pro copia ingesta, hancque excipit languor, morositas, fastidium omnium rerum, somnolentia, donec redeant ad pristinum delicium. Quod successu temporis res tantae necessitatis fit, ut opii defectus ipsam adeo mortem post se traxerit. Ex largiori tamen, diuque continuato opii usu multa mala enascuntur, emaciatur corpus, vires conteruntur, taciturni, tristes, stupidi, somnolenti sedent, nec vix in publicum locum prodire audent, nisi viribus nova opii portione restauratis (75). Qui opii deliros effectus experiuntur, perceptionem ac si in aëre suspensi essent (76), et pupillam contractam (77) habent. Apparet inde, opium maxime nervos sensuum, et facultatem attendendi perturbare, imaginationem extollere, memoriae vero saepe parcere. In *cadaveribus* nil, nisi turgorem vasorum sanguiferorum cerebri, nonnun-

(75) Murray apparat. medic. Vol. II. p. 233. et Kaempferi amoenitat. Fasc. 3.

(76) Sauvages l. c. p. 368.

(77) Jones in *medical and physical Journal publisched by* Fothergill *and* VVant. 1815. *mai.*

quam cum ecchymomatibus ventriculi, et intestinorum invenimus.

Delirium ab hyoscyamo.

2. *Hyoscyamus niger*, stirps homini jam solo halitu infensa (78), plerumque *rixosa deliria*, et *furorem* cum risu sardonico, facie pallida, pervigilio, pulsu debilissimo, sudore frigido, lipothymiis, convulsionibus excitare solet, relicto sat constanter risu admodum debilitato (79). *Cadavera* vasa meningum tumida, et ventriculum maculis nigris notatum exhibuerunt (80). Infortunia cum hyoscyamo praecipue contigisse sunt visa: in effodiendis *radicibus* (81) loco radicum *cichorei* (82), *pastinacae* (83) comestis; vel dum *semina* consulto (84), aut pro *anetho* (85), aut ut medicamentum (86),

(78) Gardane *Gazette de santé* 1773 *et* 74. *p.* 294.

(79) Reyserus in VVepferi hist. cicut. aquat. p. 230.

(80) Barrere apud Haller.; v. Murray op. c. T. I. p. 448.

(81) Eph. nat. cur. Dec. III. ann. 8. obs. 66.

(82) Reyserus l. c. et Gmelin l. c. p. 232.

(83) Potovillat in *philosoph. transact. Vol.* 40. *p.* 446. Blom in vet. ac. Handl. 1774. p. 52.

(84) Haller hist. stirp. Helvet. N. 580.

(85) Helmont hort. med. p. 306.

(86) Ab emulsione seminum hyoscyami nigri, qua aliquando in phthisi pulmonali utor, delirium vidi.

vel *folia* cum jusculis decocta (87) assumta fuere.

Delirium ab atropa.

3. *Atropa belladonna* delirio inebriationi simili (88), in furorem desinenti, in soporem terminato, cum pupillis dilatatis, immobilibus, facie profunde rubra, siti, vomitu, stridore dentium, trismo, et convulsionibus aliquando choream *St. Viti* aemulantibus (89) ansam porrigit. Infortunia plerumque cum *baccis* contingunt, utpote cerasis similibus. Obveniunt mense augusti super montes nemorosos. In extinctis intestina inflata, et inflammata, phlogosis mesenterii, et hepatis (90), atque erosiones ventriculi (91) detecta sunt.

Delirium a datura.

4. *Datura stramonium*, aliaeque species (92), praecipue illius *semina* nunc primum sopo-

(87) Murray l. c. p. 447.

(88) Giraudy. *Le délire causé par la belladonne a-t-il un caractère qui lui est propre? Paris* 1802. Thomassen a Thuessink, diss. de atropa belladonna. Groening. 1803.

(89) J. Frank *Toxicologie* §. CXI. not. 94. p. 196.

(90) Commerc. Norimb. 1743. p. 61.

(91) Boulduc *hist. de l'academ. des sciences de Paris.* 1703. p. 56.

(92) D. Metel, D. Ferox, D. Tatula.

rem, et dein delirium (93), nunc vice versa (94) gignunt. Utroque in casu delirium istud ebrietati simile est, ac demens millenis minime injucundis imaginibus agitatur, itaque ridet, et saepe gestibus lascivis veneris desiderium patefacit. Sociae sunt facies rubra, stridor dentium, tremores, et excretionum suppressio. Quatenus venenum datura stramonium in usum deduci solet a latronibus, ut sub somno miseros spoliare possint (95), a lenonibus (96), et a ganeonibus (97), ut feminas castas ad venerem excitent, ab aliis demum, ut ulciscendi libidini satisfaciant (98), cerevisiam inebriantem reddant (99) etc. Et loco seminum *nigellae* (100), aut per alium errorem (1) semina, et capsulae stramonii sumta fuere.

(93) Sauvages l. c. p. 365.

(94) J. Frank l. c. §. CXXIII. p. 201.

(95) Sauvages l. c. p. 365.

(96) Ibid.

(97) Lindestolpe l. c. p. 531.

(98) Lindestolpe l. c. et Kramer in Comm Nor. a. 1733. p. 251.

(99) Gmelin *Reise durch Russland.* 1. Th. p. 43. Spraat *hist. of R. Soc.* p. 162.

(100) Buchner misc. phys. math. med. 1727. p. 122. Haller hist. stirp. helvet. P. I. p. 259.

(1) Swaine in *Ess. et obs. phys. et lit.* T. II. p. 247.

Delirium ab agarico.

5. *Agaricus muscarius* comestus ita inebriat, « ut homo exhilaretur, exsultet, cantet, vociferetur versiculos de rebus venereis, venatione, heroibus, effutiat, vaticinetur, augmentum virium valde insuetum sentiat, manus hostiles vel aliis, vel sibi injiciat, tremore, vel et convulsionibus tentetur. Furor post duodecim, vel sedecim circiter horas defervescit, huncque excipit virium dejectio, vel jactura perfecta, tandem somnus, ex quo dum expergiscitur sensim absque alia mala sequela ad pristinam animi serenitatem redit » (2).

Delirium ab aliis narcoticis.

6. Silentio praeterimus *alia narcotica* utpote rarius delirium excitantia, nempe *aconitum napellum*, *jatropham manhiot*, *taxum baccatam*, *strychnos nucem vomicam*, *ignatiam amaram etc.*

Delirium a compositionibus secretis.

7. Varia narcotica invicem conjungendo *compositiones* aliquando emergunt specimen mirandi delirii excitantes, ideoque a SAUVAGESIO *magici* dicti (3). Sic apud Indos frequens est

(2) MURRAY Op. c. T. V.

(3) L. c. p. 370 Cfr. HEUCHER diss. vegetabilia magica. Witemb. 1700. Op. T. I. p. 766.

usus *electuarii magici*, quod ipse KAEMPFER (4) cum amicis accepit: hoc hausto omnes repleti sunt, et perfusi incredibili gaudio, risu, cachinnis, amplexibus solum explicando, nocte accedente equos conscendunt, et tunc sibi visi sunt cum Pegaso volatu per nubes ferri, iridibus circumdari; in se reversi lupino appetitu oblata voravere, postridie sanissimi mente, et corpore fuere. Huc quoque medicamentum quoddam masticatorium spectat in universa India usitatissimum, vulgo *betel*, quod praeter oris correctionem, cerebrum leviter inebriando spiritus demulcet, et exhilarat (5). Nec alienum erit hic de *delirio ex philtris* mentionem injicere, quae inter manus hominum haud expertorum, e. c. Tartarorum, Judaeorum nostrorum, et vetularum, quandoque amoris loco, quem excitare debuissent, rationis usum perturbare feruntur. Legantur de hoc pro reliqua Europa jam obsoleto argumento, RULAND (6), STALPARTUS VAN DER WIEL (7), BORELLUS (8),

(4) Amoenitat. fasc. 3. p. 651.

(5) SAUVAGES l. c. p. 371.

(6) Cur. empir. p. 32.

(7) Obs. med. rar. cent. post. part. prior. obs. 19.

(8) Obs. med. physic. Cent. I. obs. 65. p. 67.

et RIEDLINUS (9), quorum testimonia collegerunt WOLFF (10), et ROESER (11).

§. CIV.

DIAGNOSIS. PROGNOSIS. CURA.

Diagnosis.

1. *Diagnosis* delirii a venenis saepe ardua est. Generatim ea potius ex rerum positionibus extrinsecis, ut anni tempora varia vegetabilia venenosa largientia, qualitates ciborum comestorum remanentium etc., quam ex symptomatibus morbi deducitur. Inter haec tamen majoris ponderis, praeter morbi repentinum adventum, habentur species ebrietatis, multiplex nervorum affectio, sensuum perturbatio, et inprimis pupillae sive constrictio, sive dilatatio.

Prognosis.

2. Si aeger venenum deglutitum vomitu sive spontaneo, sive artificiali rejiciat, antequam delirium in gravem soporem transeat, prognosis sat laeta.

(9) Obs. med. 52. p. 111.

(10) Diss. de philtris rite examinandis, et dijudicandis. Witt. 1727.

(11) Diss. de philtrorum agendi modo, et nox. Alt. 1701.

Cura.

3. Quamobrem, nisi aeger sponte vomat, quo in casu emesis tantum ope aquae tepidae cum aceto, et melle promovenda foret, sine temporis jactura ad *emeticum* confugiendum. Sulphas zinci (12) reliquà emetica virtute hic antecellit. Praeterea, in recenti inprimis malo, congestionibus sanguinis, et inflammationibus viscerum, maxime cerebri, ventriculi, et intestinorum occurrendum. Venaesectioni tamen rarius locus est, nisi aeger omnino fuerit plethoricus. Contra tutissime *hirudines*, et *cucurbitulae scarificantes* adhibentur, non neglectis *pediluviis tepidis*, et *clysteribus* ex aqua, et aceto. *Aceti* nempe usui interno, nisi ventriculus forte inflammatus sit, quammaxime insistendum est. Sustinetur illius actio a *frigore* extus applicito, corpus scilicet aqua frigida adspergendo, lavando, capitique glaciem, aut nivem apponendo. Praesente gastritide, vel enteritide *remedia mucilaginosa*, et *lac* acidorum loco porrigenda. Simul ad eliminationem veneni forte ad intestina perducti cogitari debet, cui scopo *serum lactis tamarindinatum*, et *supertartras potassae* inserviunt. Periclitante jam jam vi vitali, ad methodum adversus apo-

(12) P. I. Vol. I. Cap. V. §. LIX. 7.

plexiam nervosam sive spasmodicam commendatam (13), et adversus asphyxias commendandam, confugiendum, et praecipue *ammoniae*, et *coffeae* insistendum.

CAPUT XXV.

DE MANIIS.

§. CV.

DEFINITIO. LITERATURA.

Definitio.

1. Morbos chronicos in privatione usus rationis circa unum vel plura objecta consistentes, qui aegrotos officia in civitate obire prohibent, eosdemque a conversatione cum aliis excludunt, *manias* (14) nuncupamus.

(13) Cap. V. §. XXXII. 6.

(14) Etymologia verbi *maniae* doctissime in egregia MOEBII de mania, et insania dissertat. Jen. 1603. edita, illustratur. Nonnulli maniae vocem a μήνη, *luna*, deducunt, alii a μανὸν, quod rarum, et laxum significat etc. Verum ipse CICERO (Tusc. quaest. L III.) ignorantiam suam hoc sub

Literatura.

2. HIPPOCRATES quamvis casus maniae magistraliter descripserit (15), attamen hujus morbi doctrinam specialem silentio praeteriit. Fundarunt eam GALENUS (16), ARETAEUS (17), CELSUS (18), ALEXANDER TRALLIANUS (19), et maxime CAELIUS AURELIANUS (20). Secuti sunt AVICENNA (21), CARDANUS (22), VASQUEZ (23), MERCURIALIS (24). MARCELLUS DONATUS (25), BRIGHT (26), HEURNIUS (27), ERASTUS (28),

respectu fatetur. *Germ.* Wahnsinn, Narrheit. *Gall.* Folie, aliénation mentale. *Angl.* Insanity, madness. *Ital.* Pazzia. *Pol.* Szalenstwo.

(15) Epidem. Lib. II. op.

(16) De melancholia L. de loc. affect. L. III. c. 7.

(17) Chronic. Lib. I. c. 5. 6.

(18) Lib. III. c. 18.

(19) Lib. I. c. 22.

(20) Morb. chronic. Lib. I. c. 5. 6.

(21) Canon. L. III. Fen. 1. tract. 4. c. 15.

(22) Contrad. med. Lib. II. Tr. 2. N. 2.

(23) De melancholia. Hispali 1583.

(24) Consil. I. N. 25. 53. 86. III. p. 53. 122. V. N. 3. 49.

(25) Hist. med. Lib. II. c. 1. p. 106.

(26) *Treatise on melancholie.* Lond. 1586.

(27) De morbis, qui in singulis partibus corporis humani insidere consueverunt. Lugd. Bat. 1594.

(28) Disputat., et epist. medicin. Tigur. 1595.

FORESTUS (29), HERCULES SAXONIA (30), BURTON (31), PONCE DE S. CRUCE (32), PLATER (33), ROLFINK (34), DE LA MESNARDERIE (35), ZACUTUS LUSITANUS (36), FABRICIUS HILDANUS (37), RIVERIUS (38), SCHENKIUS (39), BARTHOLINUS (40), WEDELIUS (41), HORSTIUS

(29) Lib. X.

(30) Tract. de melancholia. Venet. 1610.

(31) *The anatomy of melancholy. Oxf.* 1624.

(32) Dignotio, et cura affect. melancholicarum. Madrit. 1624.

(33) Prax. L. I. C. I. De mentis imbecillitate. C. II. de mentis consternatione. C. III. de mentis alienatione. C. IV. de mentis defatigatione. Obs. L. I. p. 87.

(34) Diss. de melancholia, et mania. Jen. 1635. Diss. ordo, et method. cognosc. et curand. maniam. 1666.

(35) *Traité de la mélancholie. La Fleche.* 1635.

(36) Med. pr. histor. L. I. N. 30. Prax. hist. T. II. L. I. c. 8.

(37) Cent. III. obs. 13. IV. obs. 8. 9. 21.

(38) Obs. communic. p. 418.

(39) Diss. de melancholiae diagnosi. Jen. 1662. Obs. L. I. obs. 253. IV. obs. 240.

(40) Hist. anat. Cent. I. N. 79. 85. II. N. 69. III. 18. 30. Ep. I. p. 207. De morbis biblicis. p. 62.

(41) Diss. de mania. Jen. 1673, altera 1693. Diss. juvenis melancholia laborans. Jen. 1675. Diss. de melancholia. Jen. 1685. Diss. de mania ex epitome prax. clin. Jen. 1708. in exercit. med. philos. Dec. I. de Saulo energumeno.

(42), SENNERTUS (43), AB HEER (44), RIEDLINUS (45); BELLINI (46), aliusque aevi, quo instaurabantur scientiae, scriptores (47). Dolendum solum est, eorum observationes, ut temporum mos ferebat, ab hypothesibus, et praeconceptis opinionibus saepe defoedatas esse. Longe minus hoc sub respectu peccarunt recentiores, quorum nonnulli classici dici queunt (48). Loquimur in genere de SCHULZIO (49), ALBERTO (50), JUNKERO (51), SWIETEN (52), ARRIGONI (53), BATTIES (54), MONRO (*), LO-

(42) Op. Vol. II. p. 79. 94. Diss. de melancholia in gen. Gies. 1616. Diss. de mania. Gies. 1677.

(43) Diss. de mania. Witteb. 1620. Inst. med. c. II.

(44) Observat. N. 27.

(45) Lin. med. 1695. p. 66. an. 1696. p. 406.

(46) De morbis capitis. p. 501. 514.

(47) E. c. TRINCAVELLIUS (Consil. I. N. 11. 13. III. 8.), TULPIUS (L. I. c. 19.), WEPFER (Obs. p. 324. 332.) etc.

(48) Designabo eos peculiari signo †.

(49) Diss. casus aliquot mente alienatorum, aut perver sorum. Hal. 1737.

(50) Diss. de melancholia vera, el simulata. 1743.

(51) De chronicis deliriis legitime curandis. Hal. 1754.

(52) Comment. T. III. a §. 1089. ad 1127. †.

(53) *Della mania, della frenesia, e della rabbia.* 1757.

(54) *Treatise on madness.* Lond. 1758.

(*) *Remarks on* Dr. BATTIES *treatise of madness.*

CHER (55), LORRY (56), HEIDSIK (57), ANDRY (58), ARNOLD (59), DUFOUR (60), HARPER (61), FAULKNER (62), GREDING (63), FERRIAR (64), PARGETER (65), CHIARUGI (66), MASIUS

(55) Observationes practicae circa luem veneream, epilepsiam, et maniam. Viennae 1762.

(56) De melancholia, et morb. melanchol. 1770. Utor versione german. Frcf. et Lips. edita. †.

(57) *Abhandlung von den Ursachen der jetziger Zeit so oft entstehenden Verruckungen, und wie dieselben zu beurtheilen. v. Mindensch. Anzeig.* 1778. *Versuch einer Theorie der Verruckungen. Lippisch, Intelligenzbl.* 1774. *Von dem rechtmassigen Verhalten gegen Verruekte, Mind Anzeig.* 1775.

(58) *Recherches sur la mélancholie. Paris* 1782.

(59) *Observations on the nature, kinds, causes and prevention of insanity, lunacy, or madness. Leycester* 1782.

(60) *Ueber die Verrichtungen und Krankheiten des menschlichen Verstandes. Leipz.* 1786. †.

(61) *Treatise of the real cause and cure of insanity. Lond.* 1789.

(62) *Observations on the general and impropre treatment of insanity. Lond.* 1790.

(63) *Sammtliche med. Schriften. Greiz* 1790. †.

(64) *Med. hist. and reflect.* Vol. II. N. 2. 1792.

(65) *Observations on maniac disorders.* 1792. Versione germanica. Lips. a. 1793. edita utor.

(66) *Della pazzia in genere, ed in specie, trattato medico-analit. con una centur. d'osservaz. Firenze* 1794. Vers. german. Leipz. 1795. edita est. †.

(67), LANGERMANN (68), CRICHTON (69), PERFECT (70), REIL (71), HOFFBAUER (72), COX (73), ESQUIROL (74), DAUKER (75), PROST (76),

(67) Comment. med-psycolog. de vesan. in genere. et praesertim de insania universali. Goett. 1796.

(68) Diss. de methodo cognoscendi, curandique animi morbos stabilienda. Jen. 1797.

(69) *Inquiry into the nature and origin of mental derangement.* Vers. german. Lips. a. 1798. ed. utor. †.

(70) *Annals of insanity comprising a select. of curious and interest. cases in the different species of insanity, lunacy or madness.* Lond. 1801. Vers. germ. a. 1804. Hannov. ed. utor. †.

(71) *Fieberlehre. IV. B. Rhapsodien ub. d. Anwend. d. psychisch. Curmethode auf Geisteszerruttung. Hal.* 1803. *Beytrage z. Beforderung einer Heilmethode auf psychischem Wege. Halle* 1808.

(72) *Untersuch. ub. d. Krankh. d. Seele. Hal.* 1803.

(73) *Practical observations of insanity and suggestions sowards a mode of treating diseases of the mind.* Lond. 1804. Versionis gallicae auctor est ODIER. Versione germanica. Hal. a. 1811. ed. utor. †.

(74) *Des passions considérées comme causes, symptomes etc., et moyens curatifs de l' aliénation mentale. Paris* 1805. Et *Diction. des sciences médicales* art. *Manie T. XVI. p.* 151 240.

(75) Diss. de natura mania. Tub. 1806.

(76) *Coup d' oeil physiologique sur la folie. Paris* 1806. *Deuzième, et troisieme coup d' oeil. Paris* 1807.

Winkelmann (77), Amar (78), Pinel (79), Saunders Hallaran (80), Black (81), Parkinson (82), Bryan Crowther (83), Haslam (84), Haindorf (85), Wahlstab (86), Hill (*),

(77) *Beobachtungen über den Wahnsinn. Berlin* 1806.

(78) *Traité analytique de la folie, et des moyens de la guérir. Lyon.* 1807.

(79) *Traité medico-philosophique sur l'aliénation mentale.* 2. *edit. Paris* 1809.

(80) *An inquiry into the causes producing the extraord. addition to the number of insane, together with extended observat. on the cure of insanity. Cork.* 1810.

(81) *A dissertation on insanity illustrated with tables and extracted from between two and three thousand cases in Bedlam.* 1810.

(82) *Observations on the act for regulating mad-houses.*

(83) *Practical remarks on insanity, to which. is added a commentary on the dissertation of the brains of maniaces. Lond.* 1811.

(84) *Observations on insanity with practical remarks on the disease and an account of the morbid appearences on dissections. Lond.* 1811.

(85) *Versuch einer Pathologie und Therapie der Geistesund Gemüthskrankheiten. Heidelb.* 1811.

(86) Diss. de caussis morborum mentalium a medicis observatis, et memoratis. Rostok. 1812.

(*) *Essay on the prevention ond cure of insanity. Lond.* 1814.

TUKE (87), DUBUISSON (88), et RUSH (*).

§. CVI.

SYMPTOMATA.

Generatim.

1. Maniarum multiplicia *symptomata* ut quodam ordine exponi possint, *varias* hujus morbi *species* statuere juvabit (**). Quarum specierum descriptioni enumerationem signorum, quae in

(87) TUKE *description of the retrait etc., description de la retraite, établissement formé près d' York, pour la guérison des aliénés, appartenant à la société des Quacker. V. Bibliotheque Brit. Juin, et Juillet* 1815., qua in bibliotheca inveniuntur etiam observationes de insaniis conscriptae a LA RIVE (*sciences et arts. Vol.* 8.), ac ratio reddita instituto Dr. WILLIS (*Literature. Vol.* 1.), cum quibus cfr. opus meum *Reise nach Paris, London etc.*

(88) *Des vésanies, ou maladies mentales. Paris* 1816.

(*) *Medical inquiries and observations upon the diseases of the mind.*

(**) Omnia tentamina manias classificandi hucusque frustranea fuere (v. REIL *Fieberlehre* l. c. §. 60.), nec aliter expectari potest, cum natura semper angustos systematum cancellos respuat. Interea quoniam *ordo* in rebus tradendis tamen requiritur, quivis talem sibi eligit, qualem naturae proximiorem, et instructioni tyronum magis accommodatum existimat.

genere *dispositionem* ad manias indicare solent, praemittemus. Signa ista a *symptomatibus prodromis*, utpote quae morbi quasi initium sistunt, distinguenda sunt.

Signa dispositionem indicantia.

2. *Dispositionem ad manias* indicant: cranii (89), et physionomiae (90) peculiaris conditio, attentionis volubilitas, et difficilis stabilitas, inclinationes extraordinariae, sympathiae, et antipathiae frequentes, fiducia, et suspicio nullo fundamento instructae, transitus rapidus a moerore ad gaudium, a gaudio ad moerorem, inertia laboribus supervacaneis, saepeque noctu susceptis illico succedens, modus incedendi, aut sedendi nimiam timiditatem, vel audaciam designans, gestus abnormes, soliloquia crebra, inclinatio ad res mirabiles, molimina mercatoria falsa, et in genere neglectus rerum praesentium certarum pro futuris incertis (91).

Prodroma.

3. *Symptomata maniarum prodroma* pro varia, quae a morbo assumenda erit forma, dif-

(89) Cap. I. §. III. 25.

(90) Lavater op. c. IV. *Part.* 1. *Fragm. chap.* 1. Esquirol l. c. in *Dict. des scienc. méd.*

(91) *Germ.* Projecte machen, *Gall.* Faire des projets.

ferunt. In dispositis ad morbum augmentum signorum praeallatorum occurrit. Generatim observantur horror lucis, antipathia adversus determinatos colores, spectra visum, praesertim ante cubitum molestantia, aurium sussurrus, sybilus, bombus, perceptio sonorum, vocumque non existentium, desiderium pulverem tabaci continuo naribus attrahendi, voracitas, anorexia, pica, liquorum fermentatorum, aut aquae effrena cupiditas, libido, et pollutiones nocturnae, sensus caloris universalis, impulsus ad corpus denudandum, fenestras, et januas quacumque tempestate aperiendas, fuga culcitrarum, deambulationes nocturnae, vigiliae contumaces, somnus levis, et brevis, somnia terrifica cum protractis et vagis cogitationibus diurnis cohaerentia, meditationes, quibus aegri praesertim solitarii immorantur, terrores ex levi caussa, praeceps, et frequens iracundia ex minima, vel nulla occasione, tentamina aliquid furtive auferendi (*), cachinnationes absque ulla ratione in conventibus sacris, et publicis, expensae redditibus nullo pacto convenientes, vexatio innocentium (92), facies rubra, dolor capitis assi-

(*) Esquirol. l. c. p. 159.

(92) Quare Thomasius: Experientia testatur, quod avari, dum sunt divites, et potentes, saepe soleant maxima cum

duus, vertigo, cruciatus lumborum, angor, palpitatio cordis, arteriarum in flexuris cubiti pulsatio (93); in feminis sanguinis e mammis compressis fluor (94), evacuationes solitae cruentae suppressae, alvus tarda, cutis sicca, crines oleosi (95), et morbo jam jam magis evoluto specificus transpirationis odor (96).

Variae formae.

4. Formae, sub quibus maniae omnibus numeris absolutae nunc *continuo*, nunc *periodice* prorumpere, et decurrere solent, ad *decem* reduci possunt *species*.

jactantia admixtis multis palpabilibus mendaciis, laudes suas decantare, et gloriam captare; adversarios item suos etsi alias probos, et innocentes crudeliter prosequi, aut certe inimicitiam dissimulantes sub praetextu, quod mere passive se gerant, per insidias, et literas occulte iis nocere. Tales autem affectus ex classe stultitiae moralis *saepe sunt praeludia furoris*, *et morbi cerebrini* (l. citando).

(93) Hippocrates epid. Lib. V.

(94) Hippocrates l. c. Hardouin diss. Ergo ex sanguine in mammis collecto mania. Paris 1615. Cfr. Moebii citat. dissertat. §. 36. Schenk obs. L. IV. obs. 239. Santacrux l. c. p. 32. Nonnisi bis in puerperis vidi.

(95) Dürr in Hufeland's *Journ. d. pr. Heilk.* 25. *B.* 2. *St. p.* 43.

(96) Simes (v. *Samml. auserl. Abh. f. pr. Aerzte.* 19. *B. p.* 600.) Erhard (v. Wagners *Beytr. z. philos. Anthropologie.* 1. *Th. p.* 111.). Res nulli dubio subjicitur, et odorem, de quo agitur, apud purissimos licet maniacos pluries percepi.

Mania hypochondriaca.

5. *Mania hypochondriaca* (*). Forma ista perceptionibus erroneis gravibus relate ad statum proprii corporis insignitur: putant nempe aegri se habere corpus ex butyro (97), vel luto (98) compactum, duplicatum (99), caput amputatum (100), per dimidium amissum (1), bibliis repletum (2), nasum ulnae magnitudinis (3),

(*) *Syn.* Melancholia hypochondriaca. Krey diss. de connub. inter melanchol., et mal. hypochondriac. Erf. 1797.

(97) Schrotter diss. de melancholia hypochondriaca. VVittenb. 1645. Aeger ignem, et fornacem ob timorem liquefactionis fugiebat.

(98) Aretaeus scribit, quod quidam non bibebat, existimans se esse *lutum*, pertimescens igitur, ne humore dissolveretur.

(99) Mauchart (*Allgem. Repertor. f. d. empir. Psychologie* 2. *B. p.* 121.) de convalescente ex febre narrat, cui videbatur unum suum individuum in lecto jacere, aliud in cubiculo deambulare. Quamvis appetitu destitutus, cum vi comedebat, asserens, se duo nutrienda habere individua. Cfr. Reil's *Fieberlehre* l. c. p. 562., et Herz in Moritz *Magaz. z. Erfahrungs Seelenkunde. Berl.* 1783. 1. *B.* 2. *St p.* 70.

(100) Schroetter l. c. aph. 4.

(1) Muratori 2. B. p. 57.

(2) Forestus l. c. obs. 13. Indesinenter haec verba belgico idiomate protulit: « biblia sunt in capite, caput est in bibliis! »

(3) Quercetanus diaet., et polyhistor. p. 225. Bartholinus

cornua super frontem (4), arboris ramum scapulis annexum (5), nates ex vitro conflatas (6), serpentem in ventriculo (7), ranam in ventre (8) etc., quod laborent mollitie otium (9), coecitate (10), reliquiis veneni (11), periculo lapsus ventriculi in scrotum (12), congelatione (13), luce nimia (14), urina adeo copiosa, ut

recenset de viro plebejo, qui nasum sibi in eam magnitudinem excrevisse imaginabatur, ut a publico abstineret, ne nasus a transeuntibus conculcaretur (FUCHS disp. de melancholia. Jen 1671.).

(4) SENNERT L. I. c. 7.

(5) ARNOLD l. c. T. I. p. 129. 140.

(6) LEMNIUS L. II. de complex. c. 6. Aeger omnia sua negotia stando perficiebat metuens, ne si in sedile se inclinaret, nates confringeret. Cfr. PERFECT l. c. obs. 53.

(7) SCHENK lib. I. obs. 253.

(8) FEL. PLATER Lib. obs. GATINARIA lib. de cognitione, et curat. notatum.

(9) TULPIUS obs. Lib. I. c. 18.

(10) TULPIUS Lib. IV. c. 53.

(11) PINEL l. c. p. 168. SAUVAGES l. c. p. 379. Plurimos aegros curavi, qui singula, quae patiebantur, mala a veneno quondam accepto derivabant, quin tamen vel suspicio hujus caussae adfuerit.

(12) HENR. AB HEER l. c.

(13) EX ZACUT. LUSITAN. SAUVAGES l. c. p. 291.

(14) Vid. infra §. CVI. N. 2.

emissa diluvium minaretur (15), quod sint mortui (16) vel in animalia, quorum mores imitari solent, transfigurati, e. c. in gallinas (17), canes (18), feles (19), boves (20), et lupos. Hoc in casu maniae nomen *lycanthropiae* (21) tribuitur, de quo memorabilii affectu nobis nunquam viso scripsere MARCELLUS (*), PLINIUS (22), PAU-

(15) MARC. DONAT. l. c. SENNERT inst. med. l. c. p. 3.

(16) HOLLER. de morb. inter. L. I. c. 17. BRUCKMANN in HORNS *Archiv f. med. Erfahrung.* 1812.

(17) SCHEFFER diss. de melancholica desipient. Helmst. 1642. Aeger, ut galli alarum ante cantum, sic ille brachiorum plausu latera quatiens, animantium sonum imitatus est.

(18) Sic DUCLOS (*Mém. secr. sur le regne de* LOUIS XIV.) de filio magni CONDÉ narrat.

(19) Referente RAULIN (de vaporibus mulierum) domi cujusdam religiosae omnes puellae singulari laborabant melancholia, quae percitae quavis die determinata hora, *se feles esse putabant*, et felium vocem imitando concentum efformabant.

(20) HENRIC. PETRAEUS L. I. diss. Harmonion. 3. ubi refert, decoctum quoddam helleboratum a MELAMPO Regis Argivorum PROETI filiabus, quae se *boves esse credebant*, porrectum, conduxisse; medicinam illam dein *melampodium* dictam fuisse.

(21) A gr. λύκος, lupus, et ἄντρωπος, homo. *Synon.* Cynanthropia.

(*) Vid. Cap. nostr. I. §. 1. 2.

(22) Nat. histor. p. 364.

lus Aegineta (23), Avicenna (24), Majolus (25), Fincelius (26), Aurelius Perusinus (27), Wierus (28), Mercurialis (29), Massaria (30), Rondeletus (31), Hercules Saxonia (32), Forestus (33), Schenk (34), et Pinel (35). Lycanthropici facie pallida, oculis concavis, corpore squalido, subnigro latrant, per deserta, sylvas (36), et montes (37), praesertim noctu divagantur, alios insiliunt (38), se-

(23) L. III. c. 16.

(24) L. III. Tract. 4. c. 16.

(25) T. II. colloq. 3.

(26) Mirac. Lib. II.

(27) Ad ann. 790 de Rege Poloniae Boleslao refert, qui ob Episcopum Cracoviensem Stanislaum in altari trucidatum, a Gregorio Papa excommunicatus, emota statim mente, hominum consortium exhorruit, et ad bestias se contulit.

(28) De praestigiis daemonum. L. IV. c. 23.

(29) Lib. I. c. 12.

(30) Lib. I. c. 13.

(31) Lib. I. c. 43.

(32) Lib. I. c. 17.

(33) L. c. obs. 25. 26.

(34) Obs. med. Lib. I. obs. 260.

(35) Op. c. p. 114. in nota.

(36) Rondelet l. c.

(37) Sic Schenk de nobili Hispano se in ursum conversum existimante, refert l. c.

(38) Aeger *Fincelii*, agricola, an. 1541 lycanthropicus multos in agris insiliit, trucidavitque. Tandem non sine mul-

pulchra violant (39), cadavera erodunt (40); crura, vel propter morsus canum, vel alios casus perpetuis ulceribus referta habent (41).

Mania chimera.

6. *Mania chimera.* Aegri nimirum chimera plerumque existentiam propriam respiciente pascuntur. Credit nempe ille, se esse Creatorem

ta difficultate captus, confidenter asseveraverat, se verum esse lupum, discrimen solum existere in pelle cum pilis inversis. L. c.

(39) SCHENK de lycanthropico dicit: « ille cum prius me novisset, quadam die, cum detentus hoc malo esset, obviam mihi factus, ipse vero timens recessi: at ille modicum me adspiciens, abiit. Erat autem cum eo multitudo quaedam hominum, ipse quidem ferebat humeris crus integrum, ac tibiam defuncti cujusdam. Hic demum curatus liber evasit. Qui cum iterum mihi occurreret, num quid timuissem, interrogavit, cum in tali loco, dum insanus erat, eum offendissem? Ex quibus constat, memoriam in eo non fuisse oblaesam ». L. c.

(40) MERCURIALIS l. c.

(41) « Rusticus quidam, FORESTUS narrat, subinde verno tempore Alemariae visus est adspectu torvo, ac insanus, et circa coemeterium haerere, mox et ecclesiam intrare, qui et super scamna furore percitus saltabat, modo ascendendo, modo descendendo, et nunquam in eodem loco quietus. Baculum vero oblongum manu tenebat, neminem percutiebat, sed canes eo a se depellebat, nam ex canum morsu crura nigra, et ulcerata cum crustis nigris habebat ». L. c.

mundi (42), hic se esse CHRISTUM (43), alter SPIRITUM SANCTUM, Monarcham orbis terrarum (44), Imperatorem (45), Regem (46), Cardinalem (47), ditissimum (48), pauperrimum

(42) Qui se Jovem existimarent, inventi sunt, ut SALMONEUS, curru supra pontem aeneum agitato, tonitrua imitans. VIRGIL. Aeneid. Lib. 6.

(43) PINEL op. c. p. 164.

(44) HUARTUS (Scrutinii sui ingenior. c. 7.) juvenem recenset, qui in eo tantum deliravit, imaginando *se esse totius mundi monarcham;* qua ratione autem respublica posset administrari, summa cum prudentia disserebat. WIERUS (l. c.) de aegroto narrat, qui titulum ferebat sequentem: *Rex regum*, *Dominus Dominantium*, *Monarchus mundi.* In nosocomio Londinensi, *Bedlam*, a. 1803. aegrum vidi sese Archi-Imperatorem (*Archy-Emperor*) existimantem. Imperatores, et Reges ut *Proconsules* suos agnoscebat. In chartis geographicis ubique delineandis continuo occupatus erat. Notum quoque est, *Alexandrum*, adulatorum encomiis delusum, se *Deum* putavisse; verum, accepto vulnere, ex cruoris effusione suum errorem agnovit, quippe Deos non cruorem, sed alterum liquidum habere pronunciaverat HOMERUS.

(45) WAGNER'S *Beytrage.* 1. B. p. 114.

(46) PINEL l. c. p. 116, aliique multi.

(47) MURATORI l. c. 2. Th. p. 8.

(48) Aeger, de quo supra locutus sum (Cap. V. §. XXIX. N. 1., quique propria bona chartis ludendo amiserat, Iro pauperior, se omnium divitiarum possessorem aestimavit. Mihi dicebat: « elige e stabulo meo equum anglicanum pro usu tuo; timeo enim, quod otium, in quo vivunt,

(49), miraculorum auctorem (50) etc. Alii demum chimeram prosequuntur (51), ac studiis, et operibus inanibus insudant (52), aliique opinionem sanae rationi oppositam defendunt (53). Quibus

istis bestiis noceat ». Spectat huc et THRASYLAUS Axonensis, qui, auctore HERACLIDE PONTICO apud ATHENAEUM, naves omnes in Piraeum appellentes suas esse certo certius sibi persuaserat.

(49) *Athymia pleonectica*, *s. avara* SWEDIAURI. FORESTUS l. c. obs. 15. SAUVAGES (l. c. p. 379) de parocho narrat, qui divitiis affluens se paupertate pressum existimabat. Lecto affixus, ut vestibus parceret, omnia sua munia intermittebat de caetero recte ratiocinans. Similem aegrum vidi, qui uxori suae omnia furto auferebat.

(50) ALEX. TRALLIANUS (l. c. c. 17.) de muliere refert, quae imaginabatur, se totum terrarum orbem super digitum gestare, simulque plorans verebatur, ne, quando digitum inflecteret, totus orbis corrueret.

(51) Sic quadraturae inveniendae diu noctuque operam dabat juvenis in nosocomio Viennensi omnibus irascens, qui eum tam gravi in opere perturbabant.

(52) E. c. ut vidi, in thesauris effodiendis.

(53) MONTANUS (Consil. 23.) de aegro mentionem injicit credente, totam mundi superficiem esse ex subtilissimo vitro, et subtus esse serpentes, sese in lecto tanquam in insula detineri, unde si egrederetur, metuendum, ne frangeret vitrum, et incideret serpentes, ideoque noluisse ex lecto egredi. PINEL (l. c. p. 477.) de femina testatur, quae persuasa erat, se ope fluidi electrici ab aliis, maxima quamvis in distantia, dominari.

singulis in casibus aegroti ita a chimera sua gubernantur, ut omnes actiones ad nutum illius perficiant (54). Sanitatis caeterum vix sequitur detrimentum. Quin immo citra res ad ideam fixam spectantes cunctae saepe animi facultates illaesae sunt (55), et quandoque partim excellunt (56).

(54) Saepe miratus sum, maniacos partes Regum agentes, in minimis licet rebus, non errasse. Sic feminam in gyrgatho Vindobonensi saepius vidi, quae putans se esse Mariam Theresiam, scrutis corpus suum ita exornare intellexerat, ut revera imaginibus depictis illius Reginae similis evaserit.

(55) Paulus Zacchias (Quaest. med. leg. L. II. T. I. q. 3.) de aegro quodam loquitur, qui intrantibus in gyrgathum de omnium aegrotantium conditione rite, et in ordine exponebat, nec ullum laesae mentis indicium ostendebat, donec ad aliquem eorum perventum esset, de quo dicebat: hic falso imaginatur, se Spiritum esse Sanctum, cum tamen ego vere sim Spiritus Sanctus. Tales maniaci multis in nosocomiis mihi obvenerunt.

(56) Initio revolutionis Gallicae plebejus in gyrgatho Vindobonensi aderat, qui imaginabatur se esse infelicem Ludovicum XVI. Cum vero illi, omnium ignaro, objiceretur, Reges ad minimum legere, et scribere, se tales quidem artes haud possidere consensit, ast illico iis se totum dedit, ac en, tribus vix elapsis hebdomadis, sat bene legebat et scribebat. Socius aeger illi erat magister.

Mania moria.

7. *Mania moria* (57). Gaudent aegri ea detenti perpetua hilaritate animi, vacant turbulento animi motu, vacant terrore mortis, vacant conscientiae stimulis, non expavescunt mala futura, non anguntur bonorum cupidine: unde continuo ferme rident, ludunt, cantillant tanquam omnium mortalium felicissimi. Plurimi non solum ipsi sagaciter satis loquuntur, sed et errores ratiocinii ab aliis commissos corrigunt. Vestiendi ratio, utplurimum peculiaris, et elegans, cum animi tenore cohaeret.

Mania melancholica.

8. *Mania melancholica* (58). Superiori toto coelo opposita est. Apparent nempe aegri tristes, morosi, meditabundi, mente circa unum potissimum objectum versante. Observantur alii ita silentiosi, et defixi, ut, saltem quaestioni-

(57) Chaeraphrosyne Swediaur a χαίρω, laetor, et ἀφροσύνη, insania. Stultitia hilaris, laetitia aut hilaritas stulta *auctorum*. V. Erhard in Wagners *Beytrage z. philos. Anthropol. N.* 4.

(58) In sacris paginis *malum cordis* dicitur. Neh. 2. V. 2. *Graec.* Μέλαινα χολὴ, atra bilis. *Lat.* Melancholia, sollicitudo, aegritudo animi. *Germ.* Tiefsinnigkeit, Schwermuth (Judaei Lithuani appellant *bose Gedanken*). *Gall.* Melancolie. *Angl.* Melancholy. *Pol.* Melancholia.

bus (59), citius ex punice aquam, quam ex iis verbum extorqueas (60); alii adeo immobiles, et stativi, ut non nisi adhibita vi e loco moveri, aut ad actionem quandam adigi possint (61): alii loquaces, garruli, et poëtae (62), quin tamen facile ab uno ad aliud objectum divagentur, ac electam jam idearum catenationem derelinquant: alii errabundi, quasi anima criminis conscia angeretur, nec per horulae momentum quiescentes (63): alii unum idem-

(59) Herz (Op. c. p. 141) de melancholica quaestionibus mutâ refert, quae vero, si illi literae, aut liber exhiberetur, illico alta voce legebat.

(60) *Melancholica attonita quoad sensum.* Sic laborabat femina in nosocomio Vindobonensi, quam per sex menses quotidie visitavi, quin unquam sive blanditiis, sive donis sive minis, sive castigatione vel vocis sonum elicere potuerim.

(61) *Melancholia attonita quoad motum. Athymia attonita* Swed.

(62) Perfect l. c. N. 13. (nisi lateat, ut suspicor, error in diagnosi).

(63) *Melancholia errabunda.* Paullini Cent. I. obs. 56. Feminam juvenem formosam ad talem melancholiam proclivem nuper curavi. Respuebat hominum consortium, et timebat solitudinem. Angebatur domi, exibat, et foras adhuc pejus se habens desperabunda redibat. Labores feminei taedium afferebant. Prehensus liber mox rejiciebatur, asserendo, nil inde concipi posse. De propria salute sciscitata aegra, in fletum prorumpere, et aufugere solebat. Maxime a ti-

que verbum continuo repetentes (64), aut uno tantum delectati gestu (65) interdum proprio corpori infenso (66). Fere omnes solitudinem quaerunt, ac ad suspiciones proni sunt. Nonnulli mortem, licet optando eam, nihilominus formidant, ac aliis potius vim clandestine inferunt (67). Sunt, qui se delirare non ignorent (68), quippe de variis rebus recte judicent (69), memoria gaudeant, et futura prae-

more futurae maniae, qua mater periit, angebatur. Cunctae corporis functiones rite perficiebantur. Praeter dispositionem haereditariam nulla detegi potuerat caussa. Iter, et balnea maris tantum profligarunt morbum spatio quinque mensium, omnibus pharmacis rebellem. Utinam radicitus!

(64) Reil. *Rhapsod. p.* 127.

(65) Tulpius observ. med. L. I. c. 16., et 17. Haslam Op. c. vers. germ. Stend. 1800. edit. p. 17.

(66) Propriam manum depascebat aeger Thomii (*Erfahr. u. Bemerk. aus d. Arzney-Wundarzney und Entbindungskunst.* p. 78.). Ann. 1815 judaeo doctissimo melancholico adstiti, qui nil aliud peragebat, quam ut sibi pilos e barba unum post alium evelleret.

(67) Sic medicus nosocomii fratrum misericordiae, quod Viennae est, anno, ni fallor, 1797 trucidatus fuit. Aeger adspectu insons, ac diu jam reclusus erat, cum inopinate cultrum abdomini infligeret.

(68) Blegny zodiac. med. gall. ann. 4. mense mart. obs. I.

(69) Teste Aristotele (L. XXX. probl. 1.) melancholici ingeniosi, et sapientes declarantur; quod quidem potius de moerentibus citra maniae confinia valere videtur.

sagire satagant (70). Vigiliae saepe, et saepius somnia terribilia, quae quandoque ipsum delirium formaliter exprimunt, obvenire solent. Facies utplurimum lurida, adspectus torvus, caput demissum, haud raro ptyalismus, cutis sicca, pulsus lentus, alvus tarda, vestiendi ratio neglecta, ciborum desiderium paucum, inprimis si alimenta obtrudantur, et aeger coram aliis comedere cogitur. Vidimus qui non sine periculo vitae potum, et cibum sumere recusabant (71).

Mania phantastica.

9. *Mania phantastica* (72) delirio ad obje-

(70) Item ARISTOTELES (l. c.) addit, melancholicos habere aliquid *praesagiens*, atque *divinum*. Cfr. CICER. de divin. c. 37. Tali opinioni innititur verisimiliter mos a melancholicis numeros pro sortitione schedularum lucrum (aut damnum) afferentium (*Loterie*) expetendi, ex quo melancholici gyrgathi Viennensis sibi fontem lucri excogitarunt. Legi quoque meretur casus melancholiae somniationis fere characteres exhibentis, apud GMELIN (*Material. f. d. Anthropologie.* 1. B. p. 4.) et REIL (*Rhapsod.* p. 74).

(71) Binis in feminis absolutum jejunium ad novem nychthemera protractum vidi, quarum una morti proxima inde erat.

(72) *Mania*, indecenter dicta, *religiosa*, Athymia religiosa SWEDIAUR. Melancholia superstitiosa. *Germ.* Schwarmerey. FAWCIT *ub. d. Melancholie, vorzugl. religiose Manie. Leipz.* 1785. *Beobachtungen u. Erfahrungen ub. d. melan-*

cta religiosa versante insignitur. Diversae illius extant varietates. Nunc enim aegri diu, noctuque indesinenter preces fundunt, hymnos cantant (73), negotia mundana, quin immo res ad vitam necessarias negligunt, caeterum humiles optimam prae se ferunt indolem (74),

cholische, besond. aber religiose Manie. V. e. Prediger. Leipz. 1799.

(73) Forestus (l. c. obs. 19.) de rustica narrat, quae paroxysmi maniaci tempore hymnos latinos cecinerat, quos nunquam didicit, nisi forte saepius eos in templo audiverit. Cfr. Rochlitz in *d. musikal. Zeitung. N.* 39. 40. *VI. Jahrg.*

(74) Puella plebeja quatuordecim annorum, constitutionis scrophulosae, cum vere ann. 1815 (quo tempore Vilnae in ecclesia St. Casimiri missiones celebrabantur) crebro exercitiis, et praecipue precibus sacris interfuerit, integros dies orare, noctu surgere, et genibus flexis quamcunque imaginem sacram obsecrare incoepit. Moerebat interea, et hominum fugiebat consortium. In clinicum suscepta, ex aegra gracili cum extremitatibus frigidis, et lividis, pulsuque debili vix verbulum obtinere potuimus, nisi cum de sacris quaestio institueretur, tunc enim puellulae vultus ex tristi fiebat serenus, oculi prius languidi scintillabant, ac physionomia quid coelestis induebat. Nec satis! De rebus sacris ita disserebat, ut eam theologiae operam dedisse credidisses. Concionatoris instar de Deo, de officiis christianis sermocinabatur, ac objectiones experiundi gratia factas indignato vultu sagaciter diluebat. Blanditiis demisse respondere erat solita. In genere data ecclesiam adeundi ve-

nunc impie plane se gerunt, imprecationes evomunt, et DEO maledicunt (75), nunc idolum aliquod colunt (76), nunc de futura beatitudine propria desperant, ac se in aeternum damnatos credunt (77), nunc cum angelis, dae-

nia, omnia ab ea obtinere licebat. Eo ipso tempore alium aegrum ex nobili stirpe natum, socio D. LIBOSCHITZ visitavi, qui sat similem rerum statum exhibebat. Adeo erat humilis, ut, dum illi nicotiana exhiberetur, vel rogaretur ut sederet, constanter respondebat « non sum dignus ».

(75) MOEBIUS ex FRANC. HILDESHEIM spicileg. 2. p. 186.

(76) PINEL p. 118. v. infra.

(77) Vir quadragenarius nosocomio Viennensi traditus se summum esse peccatorem affirmabat, unde ut poenae meritae infernorum citius quam fieri posset, subjiceretur, DEUM diu noctuque rogabat. Vix custos vespertinis horis momentulo aberat, ecce aeger januam cubiculi, clave intus locatâ, clausit, ac candelam ardentem lecto suo admovens, mox undique a flammis circumdatus, ejulabat, o me felicem! nunc debitum ob tot crimina a me peracta tributum solvo! Cum janua illa admodum crassa, et fenestrae clathratae fuissent, illico succurrere non licuit. Jam incendium domui imminebat, jamque foetor aegrum comburi testabatur, cum Centurio quidam ob vulnus brachii dextri in eodem nosocomio degens, advenit, ac herculea prorsus virtute, manu tantum laeva revulsit claustra. Prosiliit ex cubiculo furiosus semique tostus aeger, veluti furia liberatorem aggrediendo. Verum iste eadem manu eademque mirabili vi aegrum humi stravit, et dein adstantes facile eum cohibuerunt. Ad ossa usque combustus, praevio sopore, post dimidium horae periit.

monibus (78), sagis, spectris sibi commercium esse existimant (79), nunc quidquid in alienis regionibus contingit, videre credunt (80), nunc proprium corpus cruciant (81).

(78) Pictor SPINELLO se a diabolo circumdari credebat, ad opprobrium, quod nimis atro illum depinxisset colore (ARNOLD l. c.).

(79) *Daemonomania*, *incantatio*, *fascinatio*, *obsessio diabolica*, *morbi magici*, de quibus utinam in posterum quaestio amplius non sit!

(80) Apud CAMERARIUM exemplum Hispani alicujus refertur, qui in Europa, quae in Africa gerebantur, videre credebat. Similia apud GASSENDI in vita TYCHONIS BRAHEI L. VI. leguntur.

(81) Haud dudum aeger in nosocomio sororum Misericordiae Vilnae jacebat, qui, ut se a tentationibus venereis illicitis liberaret, testiculos rudissima manu sibi evulsit. Similem casum nuper ZETTERMANN observavit (*Ars-Berattelser om Svenska Lakare-Sallskapets arbeten.* 1815.). Quid quod in Rossia hominum secta invenitur (*Roskolnik* dicta), qui ex caussis religionis, et politicis partes genitales viriles sibi rescindunt. Incomparabilis autem est historia viri, qui semetipsum cruci suffixit (*Hist. du crucifiement exécuté sur sa propre personne par* M. LOVAT, *communiqué au public par* C. RUGGIERI. *Venise* 1807. et REIL et HOFFBAUER's *Beytrage.* 2. Th. p. 157.). Vir, de quo agitur, sutor, die 19 julii 1805 Venetiis ad fenestram tertiae contignationis cruci appensus, capite ad Christi imaginem, corona spinosa circumdato, dextro latere vulnerato, manu sinistra, et pedibus clavorum ope ad crucem jam firmatis,

Mania erotica.

10. *Mania erotica* cogitationibus amatoriis, aut gestibus libidinosis insignitur. *Duplicem* hinc ea agnoscit *varietatem*. Enimvero aegrotus nunc amore pro individuo aliquo flagrat sive imaginario, sive a se tantum viso, et a quo saepe mutuam benevolentiam nec expectare licet, sive revera sibi quondam vinculis amoris connexo, verum absente, demortuo, infido: nunc autem ferino solum veneris desiderio ardet per coitum quodammodo explendo. Ibi aegrotus diu noctuque de objecto amato vel cogitat, vel loquitur, vel scribit. Si quis accedat, illud num brevi adventurum sit interrogat, ac talem adventum expectans, horae momenta numerat. Quandoque alterius sexus objectum quodvis pro eo, quod amore prosequitur miser habet (82).

manu dextra solum clavo perforata, vulnere hypochondrio sinistro inflicto etc. caeterum corpore funibus, et rete firmato inventus est. Enodatus, et de caussa tam singularis actionis interrogatus, respondebat: hominum superbiam castigari, et ad crucem terminari debere. Idem anno 1802 sibi jam partes genitales clam resciderat, et sine chirurgicis auxiliis sanatus erat. Cfr. Spazier's *Entmannune aur Religionsschwarmerey*. Berlin 1796. et Kopp *Jahrbuch des Staatsarzneyk*. 3. *Jahrg*. 1810. p. 249.

(82) Pinelii aeger, omnem feminam, quae illi obviam veniebat, nomine amasiae quondam suae, Marie Adeleine, salutabat (l. c. p. 167.).

Sunt revera qui se cum eo conversari, aut illius potestati se subjectos esse credunt (83). Quarum erronearum idearum sub curriculo aegrotus pro re nata hilaris, moestus, morosus est. In altera erotomaniae varietate, fusius alibi describenda (84) aegroti lasciviam oculorum huc illud volutantium exhibentes, manibus genitalia saepe fricant, quorum attactu insigniter delectantur; nil aliud imaginantur, aut loquuntur, quam de alterius sexus consortio, de coitu, de rebus lascivis, et inhonestis. Sunt immo, qui onanismo, zotomiae, sodomiae, et tribadum flagitiis indulgent. In genere nil boni malive agnoscunt; in libidine explenda omnia ponunt, et vident. Quodlibet occurrens, etsi deforme objectum, mox cupidinem excitat, illud ad veneris opus sollicitant, cunctantem urgent, et compellunt, et si pertinacius reluctetur, pugnis, et unguibus impetunt. Praesto sunt caetera maniarum generalia quaedam symptomata, ut agrypnia, famis, sitisque defectus, fervor totius corporis, frigoris tolerantia, alvi pigrities, urinarum paucitas, macies tandem etc.

(83) Pinel l. c. p. 482.

(84) Part. IV. Vol. I. Sect. II. Cap. de priapismo s. satyriasi. Ibid. Vol. II. De furore uterino s. nymphomania.

Mania saeviens.

11. *Mania saeviens* (85) furore, audacia, et nisu sibi, aliisque vim inferendi stipatur. Morbus iste, saepe periodicus, plerumque a sensu constrictionis ad epigastrium, ardore intestinorum, voracitate, aut ciborum fastidio, loquacitate, et rubore oculorum adnuntiatur. Accedunt inquietudo, agitatio, terror panicus, insomnia, idearumque perturbatio. Ferinam tunc vivendi rationem, et mores tyrannicos aegri induunt, horrenda loquuntur, vociferant, exclamant, ejulant, in jurgia, increpationes, maledictiones prorumpunt, vestes, vincula dilacerant, fenestras infringunt, obvios horrendo intuitu, truculenter, cum acerba rixa, et feroci impetu invadunt, eosque manibus, unguibus, morsibusque, quasi carnem humanam appetentes (86) misere excipiunt, proprium caput parietibus illidunt, vulnera sibi infligunt, aut alio corpus exedunt modo (87). Plurimi parietes

(85) Mania furibunda *auct. Lat.* Furor, insania.

(86) Sauvages nosol. T. III. P. I. p. 319. Reil *Rhapsod.* p. 394.

(87) Ant. Benivieni (Lib. de abditis morbor., et sanitat. caussis. c. 99.) de puella maniaca refert, quae, quidquid obvium habuit, dentibus arripuit, fregit, laniavit, et cum aliis objectis destitueretur, tandem suas manus, brachia,

literis mysticis explent, vel ex proprio stercore, (quod nonnunquam comedere solent) foedant.

capillos apprehendit. Maniaci habetur exemplum, qui ferrum quinque pollices longum deglutitum, per anum reddidit (*Medical and chirurg. observat. as au appendix to a former publicat. by* Gooch Lond. 1773. p. 177.). Nobilissimum Scotum Viennae curavi, qui advena pulcherrimam, atque ornatissimam sibi elegit domum. Nullum tunc mentis alienatae exhibuit indicium, praeterquam quod a Nuntio Anglicano (tunc temporis Lord Minto gratissimae mihi semper memoriae) expetierat, ut eum veste nationali indutum (Romanorum quondam more sine braccis), in aulam Imperatoriam contra usus recepti legem introduceret. Derepente vero vir ille saevire incoepit. Clausis januis, denudato corpore, scroto chorda arcte circumdato, per cubicula sua huc, et illuc vagabatur omnia, quae obviam venerunt, fenestras, specula, vascula, sub horrendo ejulatu, in mille frangendo frustula. Manibus sclopeta minora tenebat, asserens, se primum obvenientem trucidaturum esse. Famulum suum, num vivum adhuc, num jam demortuum aegro socium esse, certissime constabat. Omnibus incassum a me tentatis, milites politiae, annuente Nuntio Anglicano, stratagematis ope furibundum imperio meo subjecerunt. Quo tempore nempe uno in latere terribili excitato rumore claustra revellere fingebant, eundemque ad locum omnem aegri attentionem direxerant, opposito in latere idem opus clandestine perfecerunt, prehenso a tergo, exarmatoque furibundo. Scrotum illius ad capitis magnitudinem cum ecchymosi intumuerat. Famulus vivus sub scamno reconditus erat. Maniae iste paroxysmus spatio trium hebdomadum evanuit. Remisso convalescente

In genere ideam, aut idearum seriem, quae mane ingruit, per totum nychthemerum prosequuntur, ac prostridie mutant. Offensarum plerumque ita recordantur, ut vindictam de iis sumant. Nonnulli et beneficiorum sunt memores. Immo obvenerunt aegri, qui reconditam saevitiam, et ferociam dissimulare, et abscondere sciebant, pro tempore de plurimis rebus sat rite disserendo (88), aliique obvenientibus

ad Britanniam, alterum paroxysmum sub itinere expertus est, quo vigente aeger sese in mare praecipitavit a nautis tamen feliciter extractus.

(88) Spectat huc celebratum Pinelii exemplum, viri scilicet in nosocomio *Bicetre* jam diu reclusi, qui, cum rite ratiocinari videretur, a plebe Parisiensi, tempore revolutionis nosocomium illud visitante, pro victima somniatae tyrannidis Regiae habitus fuit, atque hinc, incassum sese opponente custode aegrorum, libertati restituebatur, quo facto illico liberatorum arma ipse arripuit illosque adeo male tractare coepit, ut fuga sibi consulere debuerint (l. c. p. 159.). Simile exemplum Cox, narrante Gregory, refert (l. c. p. 222 in nota) aliudque in nobilissima femina prope Vilnam habui. Haec cum in paroxysmo maniae saevientis congruis vinculis circumdata fuerit, me, ut inde liberaretur, enixe rogavit, se placidam fore sancte asserens. Accessi ad aegrae nutum, ac revera remotis vinculis, sat placide loqui inceperat. Cum nihilominus fidem illi non plane tribuerem, ac aliquantulum ab ea recederem, « propius, inquit, accede Domine! » Accessi propius. « Rogo, subjunxit, vicinitus », quod cum non sine cautela facerem, en alapam

fere involuntarie vim inferentes (89). Qui continuo furunt, in acme morbi faciem pallidam, et ad citrinum vergentem colorem, oculos sanguine suffusos, linguam siccam cum spuma circa os, pulsum magnum, et sub corporis jactatione veluti febrilem exhibent. Quodsi so-

mihi omni vi infligere tentavit. Frustrato tentamine, correptisque utrisque aegrae manibus, ridens quaesivit: « et quid mihi fecisses, si alapa ista te revera attigisset? » Reddidissem eam cum usura, respondi. « Minime, ait, celebrata tua humanitas feminae miserae injuriam inferre nunquam permisisset ».

(89) A. Haslam in gyrgatho Londinensi Bedlam puerum decennem mihi monstravit, qui a secundo jam aetatis anno nisum continuum res obvias destruendi, ac aliis injurias inferendi exhibebat. Haec omnia rapide perficit, et illico mali peracti poenitentia tangitur. Quamvis de castigatione certus, nil celare solet. Immo declarat, custodis baculum necessarium ipsi esse auxilium. Facultatibus enim animi instructus non solum non labefactatis, sed vario sub respectu excellentibus. Verbo, singula docent, puerum istum per motus involuntarios mechanice quasi exantlatos saevire, deliberatione tarde nimis subsequente. Cfr. opus meum: *Reise nach Paris, London etc.* 1. *Th. p.* 154. Casum quodammodo similem, maximeque memorabilem describit cl. Niemann (v. Kopp's *Jahrb. VI. Jahrg. p.* 184. *Geschichte einer hochst wahrscheinlich blodsinnigen Einfalt bey einem* 16 *jahrigen Menschen mit einer unwiderstehlichen Neigung zu Neckereien, die zuletzt in Brandstiftung ausarteten*).

mnus hinc inde per breve concedatur intervallum, perturbatur is a somniis flammas, et incendia, pugnas, rixas, dimicationes, et luctas referentibus. Visi etiam sunt aegri, qui inprimis ingruente somno, aut nocte saevire incipiebant (90).

Mania fatuitas.

12. *Mania fatuitas* (91) statum designat, in quo cunctae mentis facultates, quandoque ipsae animales inclinationes admodum fractae, et veluti paralyticae (92) cernuntur. Aeger sensus suos, interdum valde excitabiles, raro simul ad unum idemque objectum dirigit, atque hinc objecta externa vix, aut ne vix unquam expe-

(90) Rembertus Dodonaeus (Obs. medicin.) viri cujusdam meminit, qui interdiu mente, et sensibus integris omnia sua negotia dextre obibat, quando autem quieti se dedit, et dormiebat, mox insanire coepit. Similis casus apud Herc. Saxoniam (L. I. c. 17.) extat, viri scilicet, qui dormiendo uxorem suam gravissimis saepe excepit verberibus, nisi is magis ad somnambulismum spectet. Caeterum et R. Whytt de homine narrat, qui in actu obdormiendi semper delirabat (*Sammtl. z. pr. Arzneyk. gehorige Schriften.* Leipz. 1771. p. 471.).

(91) Παράνοια *Graec.* Dementia, amentia, vecordia *Lat.*

(92) Galenus (Lib. II. de sympt. different. c. 3. cl. 3.) *Amentiam* ratiocinalis facultatis paralysin vocat. Accedit Fernelius (L. V. patholog. C. 2.).

tunt. Interea haud pauci pecuniae usum minime ignorant.

Mania idiotismus.

13. *Mania idiotismus* summum gradum fatuitatis designat, aegro aliquando brutis simili (93), sermone destituto, sonos minime articulatos murmurante, inerte aut sese automatum instar movente, cum risu stupido. Spectat huc sic dicta *fatuitas alpina*, sive *cretinismus* (94). Morbus iste a nobis pluries visus in vallibus Galliam, et Italiam separantibus, Tyroli, Salisburgi, Styriae, Carinthiae, Tartariae Chinensis (95) epidemicus descriptionem potius, quam definitionem admittit. Consistit enim in forma

(93) Pinel (Op. c. p. 182.) de puella idiota loquitur, quae, quoad formam cranii, quoad inclinationes suas, quoad modum vivendi etc. ovibus similis erat. Carnem respuens solis vegetabilibus vescebatur, alia non pronunciabat verba, quam *bé*, *ma tante*, et capite pecorum more feriebat. Dorsum, et scapulae pilo longitudinis duorum fere pollicum, lanae nigrae simili cooperta erant. Pecorum quoque more puella ista humi decumbebat.

(94) A *Chrétien* (Christianus) cum aegri tali morbo detenti humiles sint (*Dict. des sciences méd.* T. 7. p. 343.). *Germ.* Trottlen, Lallen, Simpel, Tennler, Poppel, Tralle, Tremmler, Latsche, Dackel.

(95) Staunton *med. Bemerk.* 2. Th. et: *Beschreibung der Gesandschaftsreise des Grafen* Macartney. 2. Th. Vid. Voigts *Magazin f. d. neuesten Zustand d. Naturk.* 1. B. 2. St. p. 29.

monstrosa totius fere corporis, ac in jactura omnium fere animi facultatum. Illa a primis nativitatis annis originem ducit, seseque primum per bronchocelen manifestat. Facies apparet tumidula, oblongata, simiae vultui quodammodo similis; ex ore hiante lingua pendet spissa, tenaci saliva obducta. Oculi parvi nunc protuberantes, nunc profunde in orbita positi: intuitus fixus, et stupidus. Plurimi surdi, et muti sunt, ac a fortissimis licet odoribus vix afficiuntur. Statura corporis raro quatuor pedes, duosque pollices superat. Caput, habita ratione corporis, parvum, ad verticem et tempora complanatum, vix ad occiput protuberantia instructum: pectus depressum, digiti subtiles, oblongati cum articulis parum prosilientibus, planta pedum larga, quandoque recurvata, pedesque extra conversi. Cutis universa flaccida, rugosa, et livida. Functiones, praeter illas ventriculi, et partium genitalium, languent; sunt enim entia hujusmodi voracia, et admodum salacia. Nihilominus juniores inprimis, ut ab aliis nutriantur, expetunt, vel res incongruas, ut carbones etc., comedunt. Pubertatis epocham tarde attingunt, sed partes dein genitales admodum evolvi solent cum effraena ad onanismum inclinatione. Coire inter se, et cum sanis valent, quin propria condi-

tio necessario propagetur. Faeces brutorum instar deponunt. Videres cretinorum plurimos veluti sues in plateis decumbentes, radiosque solis quaerentes. Aegre nimirum e loco moventur. Dum gradiuntur, brachiis pendulis, vacillant. Directam eligunt viam obstaculorum, et periculi ignari. Nec parentibus obsequuntur, nec bona officia facile agnoscunt. Verbera, et blandimenta aequo pacto ferunt. Adspectum senilem cito induentes, vita longaeva, si ita dicere liceat, frui queunt. De memorabili hoc morbo scripsere Eustachius Rudius (96), Haller (97), Zimmermann (98), Saussure (99), J. P. Frank (100), Ackermann (1), Clayton (2), Fodéré (3), Wenzelii (4), Iphof (5), Reeve (6), Moyne (7), et Adams (8).

(96) Lib. I. pract. cap. 6. Refert se in Tyrolensi quodam comitatu amentium, et stultorum frequentissimum observasse numerum.

(97) Element. physiol. T. V. p. 570.

(98) *Von der Erfahrung*. 2. B. p. 150.

(99) *Voyage aux Alpes* T. II. p. 481.

(100) Delectus opusculor. med. Vol. VI p. 241.

(1) *Ueber die Kretinen, eine besondere Menschenart in den Alpen. Gotha* 1790.

(2) In *Memoires of the Literary Society of Manchester. Vol. III. N.* 13.

(3) *Essai sur le goître, et le crétinisme. Turin* 1792. Et (*Précéde d'un discours sur l'influence de l'air humide sur l'entendement humain*) *Parisiis ann. VIII. reçus.*

Mania chaos.

14. *Mania chaos* malo nullo hucusque descripto charactere insignitur; ea enim vigente ideae omnis generis, quin una alterave ex iis eligatur, tumultuariae sibi succedunt, seseque invicem offendunt cum inquietudine vaga, et gestibus proteiformibus.

Observatio.

15. *Maniarum* hucusque descriptae *formae* non solum inter se, sed et cum aliis morbis, praesertim epilepsiis, *complicari posse*, prout operis limites concedent, infra demonstrabitur.

§. CVII.

AUTOPSIA CADAVERUM.

Generatim.

1. *Autopsia cadaverum* maniacorum, antiquissimae, ut videtur, originis (9), exhibuit

(4) *Ueber den cretinismus. Wien* 1802.

(5) Diss. de cretinismo. Vitemb. 1804.

(6) *Some account of Cretinsme. v. Edinb. medic. Journal Vol.* 5. *N.* 18.

(7) *Essai sur le cretinisme , et l'idiotisme. Paris* 1814.

(8) In *Medical and physical Journal published by* Fothergill *and* Want. *Lond.* 1815. *juny.*

(9) Teste Moebio (l. c. §. 19.). Democritus dum cadavera

nunc nil, quod contra normalem conditionem partium corporis humani in sensus caderet (10), nunc vitia multifaria tum encephali, tum aliarum cavitatum.

Vitia encephali.

2. Ad *vitia encephali* spectant *cranii* dimensio imminuta, et figura irregularis (11), conica (12), complanata (13) cum cavitate encephali angusta nimis (14), et ossibus nunc universe, nunc partim crassioribus (15), te-

secaret, ab Hippocrate interrogatus, quid ageret, respondit: « pervestigo caussam furoris, et insaniae hominum ostensurus, caussam truculenti hujus adfectus valde abstrusam, et nodosam esse ». Democritum revera animalia rara secasse, ex Plinio (Lib. XXVIII. c. 8.) apparet; de reliquis non spondeo.

(10) Haller elem. physiol. T. IV. p. 338. Arnemann *Versuche ub. d. Gehirn. u. Suckenmark. Gott.* 1787. p. 130. 180.

(11) Pinel l. c. p. 466. Tab. 2. fig. 5. 6.

(12) Gilibert *Samml. pr. Beobacht. u. Krankengeschicht. Uebers. v.* Hebenstreit. Leipz. 1792. p. 57. Pinel l. c. p. 465. Tab. I. fig. 1.

(13) Pinel l. c. Marshal *the morbid anatomy of the brain in mania and hydrophobia, with the pathology of theses two diseases. Lond.* 1815. Op. posth. a Sawrey editum.

(14) J. Chr. Fahner *Beytrage z. pr. u. gerichtl. Arzneyk. Stendal* 1799. 1. *B.* 15. *Beobacht.*

(15) Greding l. c. p. 130. 144.

nuioribus (16), carie (17), exostosibus (18), aliisque excrescentiis (19) insignitis: *meninges* crassiores (20), a pseudomembrana obductae (21): *dura mater* cranio firmiter accreta (22), sicca, et veluti tabula lignea indurata (23), obsessa a concrementis osseis (24), ab osse (25), a substantia calculosa (26), a tumore (27),

(16) *Idem* Marshal l. c.

(17) Commerc. liter. noric. 1732. p. 206. Sibbern in coll. Soc. med. Hafn. 1. Vol. N. 11.

(18) Kohler *Beechreibung der physiol. und pathol. Praparate, welche in* Loder's *Samml. enthalten sind. Jen.* 1795. *N.* 100 *p.* 29.

(19) Osiander *Beobacht. p.* 137.

(20) Littre in *mém. de l'Acad. des scienc. de Paris.* 1705. Geoffroy ib. 1706. Camerarius de apostemate piae matris. Tub. 1722. Swieten l. c. §. 1121.

(21) Littre, Geoffroy, Camerarius, Swieten l. c.

(22) Greding l. c. 1. B. p. 293. Jones in *Med. comment. of Edinburgh. Dec. II.* v. *Samml. auserl. Abhandl. f. pr. Aerzte.* 13. *B. p.* 25.

(23) Baglivius de fibra motrice. Lib. I. cap. 5.

(24) Meckel *recherches sur les causes de la folie obs.* 14. in *hist. de l'ac. R. de Berlin* 1766. *T. XX.* Walter *anat. Museum.* 1. *B. p.* 136. *N.* 269. *p.* 137. *N.* 270. (in furibundo).

(25) Lieutaud op. c. Lib. III. obs. 36. Meckel l. c. 13. (in saeviente, dextrum hemisphaerium cerebri pungens).

(26) Ephem. nat. cur. Dec. III. ann. 3. obs. 166.

(27) Horn l. c. p. 267.

corpuscula albida, mollia ad latera processus falciformis (28), processus iste consumtus, hemisphaeriis cerebri sese invicem tangentibus (29): *pia mater* crassa, dura, callosa (30), coloris subcoerulei (31), excrescentiis notata (32), serum eam inter, et reliquas meninges (33), ac cerebrum (34) effusum: *vasa sanguinea* capitis ossificata (35), polypis referta (36), venae turgentes, varicosae (37), aneurysmata carotidis internae (38): *cerebrum* specifice gravius (39), volumine imminutum (40), foeti-

(28) MORGAGNI op. c. Epist. VIII. 2.

(29) RAMSAY l. c. in cap. nostro I. §. I. 2.

(30) BARRY *medical essays and observat. Vol. 4. p.* 382. *Edinb. Versuche. 4. B. N.* 26.

(31) GREDING l. c. p. 298. (praecipue in melancholicis).

(32) GREDING l. c. GÜNZ prolusio III. de cerebro. Lips. 1744.

(33) JONES l. c. STARKS *klin. Bemerk.* MARSHAL l. c.

(34) SIMONS in *London med. Journ. Vol.* 6. *p.* 159.

(35) MARSHAL l. c.

(36) BADER obs. 41.

(37) BALLONIUS paradigmata. N. 184. BANG act. Soc. Havn. Vol. 1. p. 100.

(38) BLANE in *transact. of a Society for the improvement of med. knowledge. Vol.* 2. *p.* 192. v. *Samml. auserl. Abh. f. pr. Aerzte.* 20. *B. p.* 559.

(39) MECKEL l. c.

(40) WILLIS anat. cerebri. c. 3. (in fatuo).

dum (41), coloris brunnei, coerulei, et nigricantis (42), mollissimum (43), pultaceum (44), lardaceum (45), durum (*), tenax (46), callosum (47), siccum (48), ossificatum (49), exulceratum (50) cum tumoribus scirrhosis (51),

(41) Greding l. c. 306 (inter 39 maniacos saevientes, 4 erant, quorum cerebrum intolerabilem foetorem exhalabat, etsi caeterum normale).

(42) Morgagni op. c. Epist. VIII. 9. Epist. IX. 20. Soemmerring *Hirnlehre* §. 20.

(43) Lentin *Beobachtungen*, p. 113.

(44) Greding l. c. p. 308. (Inter 100 casus, praesertim maniaco epilepticorum 51 exempla). Haller l. c. p. 571.

(45) *Neue allgem. deutsche Bibl.* 81. *B. p.* 339.

(*) Marshal l. c.

(46) Plenciz act. et obs. med. p. 179.

(47) Act. med. Berol. Dec. I. Vol. 7. p. 88. 90. Dec. II. Vol. 3. p. 41. 42.

(48) Heer apud Lieutaud hist. anat. med. L. III. sect. 2. obs. 77. T. II. p. 333.

(49) Domeier. in *Journ. d. ausland. Liter. v.* Hufeland, Schreger u. Harless. 1. *B. p.* 258. (In mania prius furibunda, dein miti, ac demum immobilitate fere universali stipata).

(50) Bauhin in Bonet. sepulcr. L. I. sect. 15. obs. 18. p. 311. (in dextro hemisphaerio juvenis diu melancholici, et paralytici). Platner instit. chirurg. p. 334. Marshal l. c.

(51) Loder obs. tumor. scirrhosi in basi cranii reperti, cu est adjuncta disquisitio de vero olfactus organo. Jen. 1779 (In mania sat miti, et epilepsia cum deleto olfactu, et visu

steatomatosis (52), concrementis calculosis (53), osseis (54), vermibus (55), gangraenosum (56), saepe non mutatum (57): *corpus callosum* induratum (58) cum hydatide (59): *ventriculi anteriores* dilatati (60), angustati (61), exsiccati (62), vel saltem vacui (63), sero repleti

Incumbebat tumor ponderis unciae fere semis laminae cribrosae ossis ethmoidei).

(52) PLATER obs. p. 13. ENGEL in SCHMUCKERS *vermischten Schriften.* 1. *B. p.* 274.

(53) WALTER obs. anat. p. 42. *Anat. Museum.* 1. *B. N.* 310. *p.* 156. (In femina maniaca ad internum latus nervi optici sub transitu ejus per foramen opticum). KERKRING spicileg. anat. obs. 35. p. 76. Tab. XV. (Calculus albus ponderis granorum tredecim in cerebro pueri fatui).

(54) WALTER l. c. N. 291. (In viro mania miti laborante, in sinistro hemisphaerio linearum sex longitudinis, totidem latitudinis). SMITH in *medical observat. and inquiries. Vol. VI.*

(55) BONET l. c. obs. 5.

(56) GREDING l. c. p. 323. (In maniaco furibundo).

(57) BAILLIE *Bemerkungen etc. p.* 475.

(58) MURSINNA *Beobacht.* 1. *B. p.* 131.

(59) LORRY op. c. 1. B. p. 132.

(60) GREDING l. c. p. 309. (In plurimis furibundis).

(61) GREDING l. c. p. 310. 317. et 326.

(62) MORGAGNI Epist. IV. 9. 13. VIII. 9. (In minori malo). GREDING l. c. p. 311. (In plurimis furibundis).

(63) GREDING l. c. p. 311. (In quinque melancholicis).

(64), *ventriculus tertius* dictis similis, et infundibulum clausum (65), *ventriculus quartus* amplus, ut digiti phalangem admitteret (66), figurae abnormis fere triangularis (67), *valvula cerebri* a ventriculo quarto adeo distans, ut eum apertum relinqueret (68), *eminentia quadrigemina* valde complanata, flaccida, vix conspicua (69), *glandula pinealis* corrugata, ex flavo brunnea, lapillis repleta (70): *plexus choroidei* candidi (*), sanguine turgentes (71), hydatidibus referti (72) cum annexis glandulis (73), calculo (74), *septum lucidum*

(64) Riverii op. med. Genev. 1737. p. 473. Morgagni Ep. IX. 3. Greding l. c. p. 311. 312. 313. 317.

(65) Greding l. c. p. 322. (A firma membrana in maniaco saeviente).

(66) Greding l. c. p. 326.

(67) *Idem* l. c. p. 327.

(68) *Idem* l. c. p. 322.

(69) *Idem* l. c. p. 321. (In fatuo).

(70) Gunz prolusio de lapillis glandulae pinealis in quinque mente alienatis inventis. Lips. 1753. V. Haller collect. diss. P. I. N. 15.

(*) Marshal l. c.

(71) Duverney *oeuvres anatom. T. I. p.* 41. (Praesertim in mania saeviente). Lieutaud l. c. obs. 123. Greding l. c p. 314. (Etiam in melancholicis, et fatuis).

(72) Greding l. c. 2. B. p. 314. (In 96 maniacis furibundis et in 24 melancholicis).

(73) Morgagni Epist. VIII. 2.

(74) Walter museum anat. T. I. p. 155. N. 309. (I. fatuo).

induratum (75), *thalami optici* parvuli, et inter se distantes (76), concreti, antrorsum separati, sed retrorsum corticali substantiae juncti, et corporibus striatis commixti (77): *corpus striatum* sine striis, et ex substantia medullari, quam cinerea circumdabat, compositum (78), durum, ut forfice, quin laceretur, attolli potuerit (79): *pons Varolii* disruptus (80): *cerebellum* ex minori laminarum copia compositum (81): cum concremento osseo (82), calculo (83): *medulla oblongata* duritiei tendinosae (84), tuberculis obsessa (85),

(75) Meckel l. c.

(76) Greding l. c. p. 312. (In duobus fatuis).

(77) *Idem* l. c. p. 322. (In mania saeviente cum epilepsia).

(78) Metzger *vermischte Schriften. Konigsb.* 1782. 1. *B.* *p.* 53.

(79) Meckel l. c. (In femina diu melancholica).

(80) Auenbrugger *über die stille Wuth.*

(81) Malacarne *neuro-encefalotomia. Pavia* 1791. p. 7. (Contendit, se in cerebello fatui solum 300 laminas numerasse, cum illud sani 800. habeat).

(82) Greding in Ludwigii advers. med. pract. Vol. III. p. 657.

(83) Greding op. c. 2. B. p. 475.

(84) Hopfengaertner in Hufeland's *Journ. der. pr. Heilkunde.* 1. *B. p.* 521.

(85) Home l. c. p. 270.

origines nervorum firmae nimis (*), *specus vertebralis* sero repletus (**).

Vitia reliquiarum cavitatum.

3. *Cavitas pectoris* exhibuit *mediastinum*, et *pleuram* fluido flavo gelatinoso cooperta (86), *pericardium* inflammatum, et sero purulento repletum (87), *cor* aridum, exsuccum (88), cum pituita (89), polypo (90), aposthemate auriculae dextrae (91), aneurysma subclaviae ejusdem lateris (92), calculum in *aorta* (93), *pulmones* flaccidos, tuberculosos (94), exsiccatos (95), eorum lobum dextrum inferiorem in vesicam liquido quodam repletam degeneratum (96), ulcus diaphragmatis (97). *Cavitas*

(*) Marshal l. c.

(**) Marshal l. c.

(86) Greeing l. c. 1. B. p. 339. (In duobus maniacis).

(87) Soemmerring in not. ad Baillie, not. 1. (In aegro nostalgia, et maniae accessibus laborante). Marshal l. c.

(88) Bonet sepulcr. L. I. sect. 9. obs. 5. 8. Marshal l. c.

(89) *Idem* obs. 13.

(90) *Idem* obs. 35.

(91) Cruikshanks *neueste Beytrage.*

(92) Bonet l. c. obs. 38.

(93) Chifflet observat. Paris 1611. Marshal l. c.

(94) Greding l. c. 1. B. p. 330. 350.

(95) Swieten l. c. §. 1121. Greding l. c. p. 341.

(96) Greding apud Ludwig op. c. Vol. II. Part. III. p. 622.

(97) Meckel l. c. p. 88. (In maniaco saeviente).

abdominis includebat vitia *omenti* (98), *mesenterium* com steatomate (99), et glandulis scirrhosis (100), viscera abdominalia in unam massam concreta (1), scirrhum *pylori* (2), *pancreas* scirrhosum (3) cum calculis (4), *hepar* justo majus cum *vesicula fellea* rubicunda (5), bile orbata (6), eaque tenaci, nigerrima repleta (7), corpusculum extraneum continente (8), et affectiones plexuum nervorum (9). In *pelvi* obveniebant *uterus* scirrhosus (10),

(98) Bonet l. c. obs. 39.

(99) Tulpius obs. med. L. II. c. 33. p. 147.

(100) Bonet l. c. obs. 33. 40.

(1) J. H. Schulze, et Fr. W. Brune casus aliquot mente alienatorum, et perversorum. Hal. 1737.

(2) Bonet l. c. obs. 33.

(3) Heister *Wahrnehmung.* 1. B. N. 382.

(4) Commer liter. Norimb. 1742.

(5) Marcard *medicinische Versuche.* 2. B.

(6) Widemann in Hudeland's *Journ. d. pr. Heilk.* 3. B. p. 383.

(7) Greding apud Ludwig l. c. Vol. III. P. I. Nietzmann elem. physiol. universal. Lausann. 1784.

(8) Widemann l. c.

(9) Bichat *anatom. générale.* T. I. p. 225.

(10) Oberteuffer in Starks *Archiv f. d. Geburtshulfe.* 1. B. p. 681.

ovarium cum steatomate piloso (11), et hydatidibus (12).

§. CVIII.

CAUSSAE.

Praedisponentes.

1. *Caussae praedisponentes* maniarum quaeruntur in climate (13), anni tempore (14), constitutione epidemica (15), aetate (16), sexu

(11) Buddeus in miscell. Berol. T. III. p. 16.

(12) Commerc. liter. Norimb. l. c.

(13) Fodéré l. c. in *discours sur l'influence de l'air humide sur l'entendement humain.*

(14) *Aestatem* praecipue maniis favere praeter quotidianam experientiam et dictum comprobat: « Cum faba florescit, stultorum insania crescit ». Hippocrates *ver*, *et autumnum* accusavit (Aph. 20. et 22), quod praecipue de mania periodica valere videtur. Aretaeus saltem affirmat: « qui penitus soluti mania videbantur, aut *vernum tempus*, aut error in victu, aut ira maniam revocavit ». Schulz duo maniarum exempla sex menses durantium narrat, quorum aegrorum unus per hyemem, alter per aestatem laborabat. Reil l. c. p. 385. Esquirol l. c. p. 166.

(15) Eph. nat. cur. Dec. III. an. 5. et 6. append. p. 121. De furore uterino epidemico refert Stegmann in hist. epid. Mansfeld. a. 1698. v. Sydenh. op. T. II. p. 125. sub certis anni constitutionibus inconsuetus aegrorum numerus ad gyrgathum Viennense affluebat. Esquirol l. c. p. 167.

(17), evolutione imperfecta ossium capitis (18), et sensuum, epocha pubertatis (19), menstruatione (20), graviditate (21), puerperio (22), cessatione catameniorum (23) vitiis haereditariis, (24),

(16) Teste PINEL (l. c. p. 456.) in gyrgatho *Bicetre.* inter 71 aegros nullus erat, qui morbum ante pubertatem contraxerat. Contraxerunt autem eum tres ab anno 15. ad 20., viginti tres ab ann. 20. ad 30., quindecim ab ann. 30. ad 40., totidem ab ann. 40. ad 50., novem ab. ann. 50. ad 60., et sex ab ann. 60. et ultra. ESQUIROL de infante octo annorum maniaco loquitur l. c. p. 168. 170.

(17) In singulis a me visitatis gyrgathis numerus feminarum illum marium excedebat. ESQUIROL p. 171. 173.

(18) PINEL l. c. 73. (Praecipue in idiotismo).

(19) Hac sub periodo, praesertim in sexu sequiori, caussas maniarum aditum invenire, expertus sum. HALY (Theor. Lib. IX. c. 7.) idem de mania phantastica contenderat.

(20) PERFECT l. c. obs. 50. PINEL p. 49.

(21) Ephem. nat. cur. Dec. III. ann. 4 obs. 28. HUFELAND 7. B. 2. St. p. 166. (maniae saevientis graviditatem constanter comitantis narratur exemplum). JAHN *Klinik d. chronisch. Krankheiten*, *Erfurt* 1815. 2. *Abschnitt.*

(22) BERGER diss. de puerperarum mania, et melancholia. Goett. 1745. RASCHER diss. de mania, et melancholia puerperar. Erf. 1794. BANG act. R. Soc. Havn. Vol. I. p. 15. Vol. II. p. 52. PERFECT l. c. 99.

(23) PERFECT l. c. obs. 20. 21. 35. 44. PINEL l. c. p. 51.

(24) GREDING l. c. N. 6. PERFECT l. c. N. 42. 54. 55. 64. 75. 76. 77. 95. 100. 101. 104. 105. Exemplum maniae per tres generationes *in solis individuis sexus feminei* propagatae habeo. ESQUIROL l. c. p. 189.

et congenitis (*), affectionibus glandularum (25), temperamentis, corporisque constitutionibus (26), educatione (27), animi cultura

(*) Esquirol l. c. p. 190.

(25) Schenk obs. L. I. N. 262. Magna pars maniacorum, quorum curam suscepi, in prima juventute tumoribus glandularum, praesertim circa collum subjecta erat.

(26) Temperamentum quodcunque, cujus character fortiter expressus est, inprimis si cum constitutione corporis illud suffulciente cohaereat, quamdam ad manias designat dispositionem. Sic temperamentum sanguineum in hominibus plethoricis, et robustis, ad *maniam saevientem*, temperamentum cholericum in hominibus parum sensibilibus ad *fatuitatem* etc. disponere solent. Observante Pinelio (l. c. p. 141.), qui crinibus fulvis instructi sunt (*blondins*), ad M. fatuam (*dementiam Pinelii*), qui castaneis (*chatains*), ad manias suaviter decurrentes, et qui (potissimum inter mares) crinibus nigris, ad M. saevientem inclinant. Cfr. Esquirol l. c. p. 175.

(27) Homines ingenio mediocri, animi pathematibus modicis, et inclinationibus sanis instructi, et singulis facultatibus tum animi, tum corporis harmoniam exhibentibus quacunque sub educatione plus minus prosperare solent. Non ita homines in una alterave animi, aut corporis facultate sive excellentes, sive deficientes. Hic enim quoties in educatione committitur error, quo dispositio eminens, vel deficiens non reprimitur, vel excitatur, toties maniis sternitur via. Si imaginatio excellat, fabulae aniles de spectris maximum afferunt damnum.

(28) imaginatione ardente (29), habitu animi (30), vitae ratione (31), attentione constanter uni, eidemque objecto addicta (32), muneribus, et officiis (33).

(28) Barbaros maniae vix subjectos esse constat ex KALTIO (*Samml. einiger bisher unbekannt gebliebener* (*kantischer*) *Schriften*, *herausgeg.* *v.* RINK. *Konigsb.* 1800. p. 50.) et Cox (l. c. p. VIII.) ESQUIROL (l. c. p. 179.).

(29) Praesertim socia sensibilitate magna.

(30) Inclinationes depravatae tum physicae, tum morales, nisi frenum iis mature injiciatur, ad potiores caussas praedisponentes maniarum spectant. Loquor de crapula, pica, luxuria, nec non de philautia, superbia, vanitate, ostentatione, diffidentia, avaritie, feritate, credulitate, loquacitate, timiditate, iracundia etc.

(31) Vita irregularis, quam *ultima societatis classis*, praecipue in urbibus majoribus, crapulam inter, et rixas ducit, valdopere ad manias praedisponit. Idem apud homines ordinis superioris efficit consuetudo pastum sine regula sumendi, horis indeterminatis somno praesertim diurno indulgendi, per integras noctes vigilandi, lusui chartarum, lectioni librorum imaginationem exaltantium, obscenorum vacandi, et similia. Periculosus quoque est transitus e vita activa ad passivam. ESQUIROL l. c. p. 180. 182.

(32) Cox l. c. p. 17. ESQUIROL l. c. p. 176.

(33) Munera, et officia, quae imaginationem intendunt, evidenter maniis viam sternere solent. Mirum hinc non est, si gyrgathi maxima ex parte sacerdotibus, pictoribus, sculptoribus, musicis, poëtis etc. repleantur; sique status militaris, utpote honoris sensu, qui saepe nimis laeditur, ductus, permulta maniarum exempla offerat. ESQUIROL l. c. p. 177. 178.

Excitantes.

2. *Caussis excitantibus* adnumerantur morsus conscientiae (34), vota temeraria (35), tentationes (36), fanatismus (37), revolutiones po-

(34) Felicissima vitae humanae momenta modo illicito empta, morsu conscientiae venenantur. Poena ista secreta aeque ac atrocissima vitiorum, et criminum praecipue melancholiis ansam porrigit. Religio christiana, et, ut reor, maxime Catholica Romana, fragilitatis generis humani prae alia memor, poenitenti manus auxiliares tendit, paceque divina animum sincerum perfundit. Quoties igitur ea contrarie agere videtur, id solum administris genio religionis non imbutis, vel peccatorum imbecillitati tribuendum. Loquor de sermonibus sacris, et confessione utpote maniarum caussa excitante. Cfr. Pinel (l. c. p. 43) de sic dictis matrimoniis republicanis disserens, et Cox (l. c. p. 27.) de aliis exercitiis religiosis.

(35) Vota in aetate adeo tenera aliquando emittuntur, ut, mutata serius corporis compagine, nonnisi cum valetudinis detrimento sustineri possint. Nil vero magis inde laeditur, quam animi facultates, qua de re legatur Pinel l. c. p. 31.

(36) Conflictus inter inclinationes physicas, pathemataque animi, ac observantiam officiorum religiosorum, civicorumque, dispositos haud raro ad manias impellit.

(37) Perfect l. c. obs. 23. 38. 59. 66. 67. 68. 69. 71. 92. Justi *Elisabeth die Heilige, Landgrafin v. Thuringen*, *Zurich* 1797. Brissot *Reisen durch die nordamerikan. Staaten.* 2. B. p. 245. Inter 50,000 Quackers, quos Britannia complectitur, ann. 1803 quinquaginta maniaci nu-

liticae (*), fortuna (38), recordatio temporum felicium (39), spes frustrata (40), lusus (41), infortunia (42), amor infelix (43), zelotypia

merabantur. V. op. meum *Reise nach Paris, London etc.* 2. Th. p. 181. *Bibliorum lectio*, testante Cox (l. c. p. 73.), locum hic meretur, quae, si in manus hominum veniat, qui verbum Dei interpretari nequeunt, non solum *sectis* sine numero, sed aliquando et *mentis alienationi* ansam necessario porrigere debet. Intellexit id jam dudum *St. Ecclesia Romana*, Bibliorum lectionem iis tantum permittendo, qui eam intelligere valent. (Conferat. Regula quarta praefixa Indici ex decreto concil. Trident. peracto, et Bellarminus de verbo Dei. L. II. c. 15. et 16.). Quid igitur de *mania biblica*, nostris temporibus grassante, cogitandum erit?

(*) Esquirol l. c. p. 182. 183., habita simul ratione depravationis morum.

(38) Forte id nemo crederet, cum aevo nostro plebejos sine apertis maniae indiciis thronum ascendisse viderimus.

(39) *Nessun maggior dolore,*
Che ricordarsi del tempo felice
Nella miseria. Dante.

(40) Spes, gaudii anticipati species, unius imaginationis soboles, inprimis si pro objecto superbiam, aut vanitatem agnoscat, ac frustretur, saepe saepius maniam, praesertim chimeram excitat.

(41) Nec excepta *Lotterie*, monente Erhard in Wagners. *Beytrage.* 1. B. p. 122.

(42) Ut incendia, naufragia, bellum, rapinae, quibus Irus fit subito qui modo Croesus erat. Cfr. Perfect l. c. p. 1.

(43) Cael. Aurelian. p. 326. Bartholinus l. c. Cent. II. N.

(44), res matrimoniales, et domesticae male incedentes (45), pudor (46), timor (47), terror (48), ira (49), studia (50), res imaginationem

69. RIEDLIN l. c. 1700. an. p. 375. SCHENK obs. L. I. N. 268, aliique multi, ut infra dicam, non indiscriminatim admittendi.

(44) PLATER obs. L. I. p. 83. MEYER in HUFELAND's *Journ. d. pr. Heilk.* 19 B. 2. St. p. 60. PINEL l. c. p. 48.

(45) PERFECT l. c. p. 6.

(46) RIEDLIN l. c. p. 885. Puella innocens furtim in lupanarium introducta insanivit, referente PINEL l c. p. 27. Aliae virgines prima matrimonii nocte insanae evaserunt. ESQUIROL l. c. p. 191.

(47) *Timor imminentis maniae periculi* peculiari attentione dignus est. Excruciantur eo potissimum homines, quorum in familiis diri hujus morbi exempla occurrunt, nec forte a veritate valde alienum foret contendere, timorem istum quandoque plus ipsa hereditaria dispositione efficere.

(48) Post anatomen cadaveris v. Eph. nat. cur. Dec. II. an. 8. obs. 170. Cfr. PLATER l. c. p. 57. FRID. HOFFMANN consult. Cent. I. N. 37. PINEL l. c. p. 185. Filium praefecti Lutetiae Parisiorum B*** ex adspectu patris a *guilliotine* obtruncati maniacum redditum ipse Viennae curavi. Nuper judaeae adstiti, quae in speculo sese intuens, proprium patrem nudum retro, linguam ludibrii gratia exerentem, cum conspexerit, adeo terrefacta est, ut in melancholiam incideret. Quales tristes effectus ludibria hujus generis producere possint, et exemplum in egregio diario politico: *Der osterreich. Beobachter.* 1816. N. 40. enarratum probat.

(49) Cap. XX. §. LXXXI. 2. GALEN. 6. aphor. 23. Jam AJAX cum arma ACHILLIS obtinere non potuerit, prae ira maniacus evasit.

ferientes (*), vigiliae (51), motus nimius (52), quies (53), fames (54), sanguinis jactura (55), ebrietas (56), insolatio (57), forte luna (58),

(50) ARISTOTELES (Probl. I. §. 30.) melancholiam pro morbo virorum celebratae eruditionis, et judicii declaravit. v. SMETIUS miscellan. p. 548. HOFFMANN de delirio melancholico. Obs. 8. op. III. p. 267. PERFECT l. c. N. 10. 94.

(*) E. c. phantasmagoria, femina invisibilis. ESQUIROL l. c. p. 177; nec spectacula theatralia excludenda. Ibid. p. 229.

(51) Dum scilicet mens passionum procellis concussa objecta diu noctuque, nulla corpori concessa requie, animo versat. Cfr. CAEL. AURELIAN. p. 326.

(52) TIMAEUS L. I. c. 8.

(53) REIL l. c. p. 84. 403. PINEL l. c. p. 32. 33.

(54) BORELLI Cent. III. obs. 18. SANTACRUX l. c. p. 39.

(55) Plurimi *transfusioni sanguinis* Parisiis subjecti insaniverunt, unde haec operatio jussu Parlamenti prohibita fuit. v. DIONIS *cours des opérations de chirurgie. p.* 498.

(56) CAEL. AURELIAN p. 326. PERFECT l. c. N. 17. 56. 61. COX p. 160. op. origin. (Prolem saltem ebriosorum maniae subjectam esse contendit).

(57) BOERHAAVE prax. med. Vol. V. p. 51. LORRY op. c. 2. B. p. 80. BATTIE l. c. p. 47.

(58) Quaestionem, utrum *luna* imperium in maniacos habeat nec ne, determinare non audeo; sed hoc certe scio, tempore plenilunii maniacos fere sine exceptione inquietiores fieri. Cfr. ESQUIROL l. c. p. 167.

frigus (59), sudor suppressus (60), castitas (61), onania, et coitus (62), metastasis lactea (63), vitia abdominalia (64), inprimis bilis (65), fla-

(59) Borellus Cent. II. obs. 13. Milites exercitus Napoleonis hyeme a. 1812 Vilnam reduces crebro insaniverunt, vel saltem tali fatuitate laborabant, ut centum eorum coram uno alterove *Kosak* arma projicerent; quod tamen non a solo frigore derivari debet. Cfr. Bietnitz apud Esquirol l. c. p. 165.

(60) Lentilius miscell. T. I. p. 36. Perfect l. c. N. 24. 25. (imperium constitutionis catarrhalis in manias patefaciens).

(61) Eph. nat. cur. Dec. I. ann. 2. obs. 151. Warliz de morb. bibl. p. 363. Plater (Prax. med. L. I. c. 3.) de nobili femina alioquin honesta narrat, quae, ob morbum mariti diuturnum caste vivens, adeo insanivit, ut tam homines, quam canes ad congressum verbis, gestibusque turpissimis invitare non erubesceret. Panaroli (Pent. c. 3.) de muliere refert semper extra graviditatis tempus libidinosissima, et quaevis fomenta lasciviae impudicissime quaerente, donec utero gerebat, per illud enim tempus exemplar pudoris, et prudentiae erat.

(62) Schenk obs. L. III. N. 263. Esquirol l. c. p. 179.

(63) Cfr. §. C. 3. (81.). Durr in Hufeland's *Journ. d. pr. Heilk.* 25. *B.* 2. *St. p.* 31. Chretien in *Samml. auserl. Abhandl. f. pr. Aerzte.* 22. *B.* 1. *St. p.* 48.

(64) *Auszuge aus dem Tagebuche eines ausubenden Arztes.* 2. *Samml.* N. 10.

(65) Riedlin obs. Cent. III. N. 95. Forestus L. X. obs. 21. 23. Baldinger *n. Magaz.* 9. B. p. 83. Pluries rejecta vel pauca, sed atra bile, paroxysmum maniae saevientis fraenatum vidi.

tus (66), vermes (67), morbi praegressi, ut febres intermittentes (68), continuae (69), encephalitis (70), apoplexia (71), asphyxia (*), dentitio difficilis (72), colica (73), dysenteria cohibita (74), erysipelas (75), exanthemata (76), impetigines (77) retropulsa, haemorrhagiae con-

(66) Fienus de flatibus. c. 20.

(67) Vogel *Beobachtungen*. N. 20. Thuessink *Waarnemingen*. N. 24. Perfect l. c obs. 53. Lentin memorabil. p. 138. In judaeis Lithuanis ascarides saepe delirium saeviens, et taenia melancholiam produxisse vidi.

(68) Sydenham obs. med. sect. I. c. 5. (post quartanam). Hagendorn Cent. I. obs. 37. Baldinger l. c. 10. B. p. 76. Perfect l. c. N. 51. (Aliae intermittentes). Collin an. med. III. p. 78.

(69) Forestus L. IV. obs. 27. Muzell L. I. cas. 9. Rudolphi *schwed. Annalen*. 1. *Heft*. p. 62.

(70) Cap. III. §. XVII. 4.

(71) Cap. V. §. XXVIII. 6.

(*) Ex fumo carbonum. Esquirol l. e. p. 194.

(72) Perfect l. c. p. 71.

(73) Fabr. Hildanus Cent. IV. obs. 8. Burger in Horns *Archiv*. 2. *B*. *p*. 348. Perfect l. c. N. 96.

(74) Birnstiel *uber die Ruhr*. *p*. 218. Horn's *Archiv*. 3. *B*. 1. *Heft*. *p*. 38.

(75) Perfect l. c. N. 84.

(76) Eph. nat. cur. Dec. I. ann. 6. et 7. obs. 93. Lentin *Beobacht* *p*. 105.

(77) Perfect l. c. N. 27. 85. Thilenius *med. chir. Bemerkung*. *p*. 236. Odier *Manuel. de méd. pratiq*. *p*. 184. Hufeland's

suetae retentae (78), pellagra (79), plica rescissa (80), ulcera praepostere sanata (81), violentiae capiti illatae (82), insecta (83), conva-

Journ. d. pr. Heilk. 15. *B.* 2. *St. p.* 58. 26. *B.* 4. *St. p.* 110. SIBBERN in coll. Soc. med. Havn. Vol. I. N. 11. Act. nat. cur. Vol VIII. obs. 28.

(78) Ex epistaxi habituali suppressa maniam melancholicam ann. 1815. in clinico instituto curavi. Eodem circiter tempore juvenem vidi, de quo infra (§. V. N. 2.), qui vix suppressa epistaxi, cui narium polypus feliciter operatus ansam porrexerat, melancholicus redditus est; nisi forte hic excrescentia polyposa radicem in ipso encephalo habuerit, sicuti apud cl. SCHAEFFERUM contigisse lego: (HUFELAND's *Journ. d. pr. Heilk.* 1816. *Jun. p.* 19. 22.). Quantum *haemorrhoidum suppressio* in manias excitandas influat, praeter copiosas proprias observationes, facta a BANGIO (l. c. N. 3. 43. 79. 80.) aliisque collecta docent. Nec *lochiorum*, et *menstruorum* suppressio semper ut caussa solum praedisponens agit.

(79) P. I. Vol. II. Cap. XXXV. §. CXXXIX. 1.

(80) Ibid. Cap. XXXVI. §. CXLIV. c.

(81) AMATUS LUSITANUS Cent. II. cur. 67. FORESTUS L. X. obs. 24. PERFECT l. c. N. 38. 68. 83. 282.

(82) CAEL. AURELIAN. p. 326. HAGENDORN. Cent. I. obs. 36. VVILLICH in BALDINGERS *n. Magazin.* 10. *B. p.* 107. Multiplici experientia edoctus sum, violentias externas capiti infensas haud raro primam sistere maniarum originem. Sic nuper curam judaeae viginti quatuor annorum habui a biennio mania fatua laborantis. Nulla caussa detegi potuerat; quo primum autem de lapsu, contusione quaestionem institui, illico lux affulsit. Retule-

lescentia (84), pharmaca (85), philtra (86), et consuetudo cum maniacis (87).

runt nempe, aegram anno aetatis decimo retrorsum super caput cecidisse, et ab eo momento continuo de cephalaea, intercurrente vomitu, conquestam esse, circa apparitionem menstruorum solitudinem quaesivisse, ac tandem, absoluto primo partu, usum rationis amisisse. Cfr. Esquirol l. c. p. 190.

(83) Boerhaave (de morb. nerv. Vol. II.) docet, insecta in auribus nidulantia cum maniis aliquando nexum habere.

(84) Sydenham Opusc. p. 100. 122. VVendelstaedt *Wahrnehmungen* 1. B. *p* 35.

(85) De *narcoticis* id sponte intelligitur. Et cum hic de pharmacis quaestio sit, liceat de alio auxilio, *magnetismo* scilicet *animali* loqui, cujus usus protractus statui maniaco favere videtur. In nonnullis saltem, dixerim ex officio, *clairvoyantes*, cum ex tripode quasi vaticinentur, ac ab aegrotis consilii gratia adeantur, evidentia vesaniarum signa percipere credo.

(86) Stalpart van der VViel obs. rar. cent. post. part. pr. obs. 19. VVedel phys. med. sect. 3. c. 29. §. 2. Frideric. de mania ex philtro. Jen 1670.

(87) Reil *Fieberl.* l. c. p. 410. Michaelis (*Med. pr. Bibl.* 1. *St. Anhang*) de mania ex maniaci intuitu orta narrat. In plurimis gyrgathis custodes vix ab aegrotis distinguere potui; et inprimus chirurgus, in gyrgatho Vindobonensi quondam residens, habitum, et gestus maniacorum induerat. Cfr. Esquirol l. c. p. 187.

Proxima.

3. *Caussa proxima* morborum ubique obscura, hic obscurissima. Quaerebatur in vitiosa dispositione spirituum vaporibus melancholicis inquinatorum (88): in spirituum animalium opaca, crassa, et tenebricosa dispositione, cum depravatione phantasmatum (89): in spiritu vitae veneno mercurii infecto (90): in luna lumine vacua saturno conjuncta, inprimis in horoscopo (91): in influxu diaboli (92): in fervida, et ignea spirituum animalium qualitate (93): in aquarum cerebralium nimia elasticitate (94): in plethora cerebri (95): in sthenia (96), et maxime in peculiari exaltatione nervosa (97). Ad nos quod spectat, rejectis quibuscunque hypothesibus circa intimam morbi naturam, id solum contendimus: *manias sistere genus mor-*

(88) Aristoteles L. de insomniis. c. 3.

(89) Galen. III. de loc. affect.

(90) Paracelsus T. I. c. 5.

(91) Astrologorum secta.

(92) V. Wierus cap. 25. Lib. IV. c. 9. 10. et seq. lib. III. de lamiis.

(93) Sennertus in institut. et prax. libr.

(94) Erhard in Hufeland's *Journ. d. pr. Heilk.* 14. B. 2 St. p. 85.

(95) Cox. l. c. p. 20. et 36.

(96) Elem. med. Brunonis.

(97) Pinel l. c. p. 155.

borum a reliquis morbis cerebri haud omnino diversum. Rem ita se habere probat maniarum frequens origo ex encephalitide, et apoplexia: probat societas, quam saepe cum epilepsia, paralysi, aliisque morbis eaedem ineunt: probat communis maniarum in alios morbos transitus, ne alia argumenta ex sequenti paragrapho elucentia anticipemus. Demonstrabimus enim, manias ex iisdem conditionibus morbosis pullulare, quae aliis aegritudinibus ansam porrigunt. Qua in re si triumphabimus, opinio absurda, ac religioni, et morali aeque adversa, *quae manias ex morbosa animae ipsius conditione derivat* (98), sponte corruet; intelligetur enim, in maniis solum *instrumenta*, quibus anima ad actionem suam in corpus exercendam utitur, labefactata esse. Quo posito, doctrina maniarum vestem, qua eam nonnulli inter recentiores induerunt (99), deponet, ac in sphaeram aliorum

(98) Quisnam sequentem propositionem Reilii (*Rhaps* p. 9.) sine indignatione perleget? « *Eine Faser im Gehirn erschlafft, und der in uns wohnende Gotterfunke ist zu einem Feen-Narchen geworden* ».

(99) Benigne lector! Pervolve Pinelii de maniis opus, detrahe casus nonnullos practicos, quos in curriculo hujus operis grato cum animo in usum duxi, et dic dein, si quod reliquum est, non magis cum fabulis milesiis, quam cum opere medico conveniat? Nimirum omnia inordinate

morborum modeste redibit, et quidem cum evidenti aegrorum lucro (100).

§. CIX.

DIAGNOSIS.

Illius momentum.

1. Limites, qui vel ipsam sapientiam a stultitia separant, interdum adeo inter se confluunt, ut arduum evadat eos rite determinare.

Pinelius scribens basin rerum medicarum, anatomiam scilicet pathologicam plane neglexit, aetiologiam physicam vix per transennam tetigit, ac materiae medicae infamiae fere notam inussit. Adde contemptum, quo de plerisque antecessoribus suis loquitur, adde silentium, quo classicum de maniis scriptorem Lorry praeterit, adde jactantiam, qua se veluti in fundatorem doctrinae maniarum erigere conatur, etc., et judicium meum haud nimis invenies severum.

(100) Coxius (l. c. p. 79.) jam monuit, neglectum curae materialis, et tentamen directe in animam agendi felici praxi in maniis obstare. Ac re quidem vera, nisi risum, misericordiam tamen conatus eorum, qui manias solo regimine psychico debellare student, ad lectos aegrorum excitant, ac simplices barbitonsores felicius hic quandoque per venae sectiones, emetica etc. incedunt, quam isti medici pseudo-philosophi chimeris debellandis intenti, ac res obvias praetervehentes.

Nisi tamen determinentur, in periculum civibus gravissimas injurias inferendi continuo incurrimus. Si videlicet in *diagnosi maniae* erres, praeter mala omni in morbo hac sub rerum positione expectanda, alia adhuc prorsus peculiaria praesto sunt; dum enim hominem praepostere pro maniaco declaras, si ille maniam, ut vel poenas, vel carceres, vel aliud periculum effugere possit, *simulaverit*, leges defraudas, et securitatem publicam periculo exponis; sin non miserum privilegiis, quot quot sunt, civicis, et libertate privabis, ac malorum ejus innumerabilium eris auctor. Contra si hominem de mania suspectum vel ob id, quod morbum cum astutia *abscondere* sciat, vel quod obiter eum examinaveris, ut sanum absolvas, injuriis gravibus, quas aeger aut sibi, aut aliis inferre poterit, tua onerabitur conscientia.

Mania periodica.

2. Nullibi vero periculum in diagnosi maniarum errandi majus est, quam ubi in *lucidum intervallum maniae periodicae* incidimus; hic enim aeger, ratione aliquando omnino gaudens, attamen eodem jure pro maniaco declaratur, quo ille, qui sub stadio apyrexiae febris intermittentis versatur, febre nihilominus laborare dicitur. Atque hic non de illa *mania pe-*

riodica loquimur, quae e febre intermittente larvata pullulat (1), sed de alia cum hac nil commune habente, et chronice sub formis variis, praecipue autem sub ea maniae saevientis, per *paroxysmos*, concessa *quiete adumbrata*, decurrente, de qua pulcherrime scripserunt CELSUS (2), LUPINIUS (3), DE MEZA (4), BENEDECK (5), GMELIN (6), et PINEL (7).

An dentur symptomata pathognomonica?

2. Cum alienatio mentis facile fingi possit, quaeritur, num inter reliqua maniae symptomata aliquod *pathognomonicum* invenire liceat, nec ne? Maxime quidem maniis familiaria sunt: facultas conspicuum frigoris gradum sustinendi, defectus somni, actio muscularis aucta, pulsus normalis, appetitus depravatus, et vis conspicuis emeticorum, ac narcoticorum dosibus absque emesi, et somno resistendi. Ast nullum ex istis symptomatibus adeo constans, et maniis exclusive proprium est, ut *pathognomoni-*

(1) P. I. Cap. II. §. XXVIII.

(2) Lib. XVIII. §. I.

(3) Histor. morbor. difficil. p. 112.

(4) Act. Soc. Reg. Hafn. Vol. 3. p. 294.

(5) De statu maniacorum in paroxysmo. Traj. 1762.

(6) In MAUCHARTS *Repertor. f. empir. Psychologie.* 4. *B. N.* 7.

(7) L. c. p. 153.

cum dici possit. Enimvero facultas frigus sustinendi ad id solum restringitur, quod maniaci intemperiem aëris sine querelis sustineant, non quod inde non male afficiantur (8). Somnus neque in omni mania desideratur, neque aliis in morbis constanter adest. Idem de vi musculari aucta dicendum. Pulsus in mania saeviente ob aegri agitationem cum frequentia micare solet, aliquando voluntatis imperio subjicitur (9), aut et lentior sano observatur. Ad appetitus depravatos quod spectat, homines visi sunt maniam simulantes, qui tamen proprias comederunt faeces (10). Emeticorum magnae doses vel in aliis morbis cerebri, e. c. post apoplexiam, quin vomitus sequatur, perferri pos-

(8) Nosocomio Parisiensi *La Salpetrière* jam dudum (v. opus meum *Reise nach Paris, London etc. I. Th.*) objeci, maniacos ibi reclusos frigori nimis expositos esse, illudque ab aegris hujusmodi non ita sustineri, ut vulgo creditur. Huic opinioni nuper Pinel (l. c. p. 62), et Tuke (l. c.) accesserunt.

(9) Hanc Coxii observationem (l. c. p. 118.), quam amplector, jam ann. 1792. confirmatam habui. Florentiis enim degens, a celebri Felice Fontana ad nobilem ductus fui feminam magna imaginatione praeditam, quaeque *solo voluntatis nisu* pulsum prius 76 vices in minuto primo micantem ultra 100 augere poterat.

(10) Tale exemplum pater meus in incendiario carceribus Bruchsaliensibus recluso habuit.

sunt, et, quamvis raro (11), a maniacis non semper perferuntur; quod et de narcoticis relate ad somnum valet.

Cautelae.

4. Haec cum ita sint, nil restat, praeterquam quod omnes, quae nos ad scopum perducere possunt, prudenter ineamus vias. Qua de caussa priusquam ad diagnosin morbi maniae suspicionem excitantis enunciandam nos accingamus, *cautelarum* sequentium memores erimus: 1.° individuum suspectum diuturnae observationi subjicere; 2.° illum observare, dum se solum, et ab inspectione immune existimat; 3.° illi opportunitatem cum extraneis utriusque sexus conversandi praebere, ac colloquiorum accurate rationem habere; 4.° veniam loca publica adeundi concedere (12); 5.° habitum corporis, functiones quot quot sunt, et maxime sensus, perceptiones, ideas, memoriam, ima-

(11) Inter ducentos circiter maniacos, quibus tartarum emeticum praescripsi, *unum* tantum numero, qui a consueta illius dosi emesin perpessus est. Reliqui tale remedium a scrupulo uno usque ad drachmas duas spatio nychthemeri, quin vomerent, sustinebant.

(12) Vidi plurimos, qui in gyrgathis reclusi ratione plane pollere apparebant, qui vero vix ad loca publica deducti omnes maniae exhibebant notas.

ginationem, judicium, voluntatem, pathemata animi, appetitus etc., strictissimis, iisque specialibus, et repetitis tentaminibus perscrutari; 6.° a parentibus, affinibus, institutoribus, famulis omnia colligere, quae lucem super morbos haereditarios, infantiam, et pubertatem, educationem, vivendi modum, perpessa animi pathemata etc. spargere possunt, et 7.° cum consanguinei, et familiares contra individuum insons conjurare possint, etiam illorum adversarios, et inimicos auscultare. In genere plus ad facta, quam ad verba respiciendum. Atque hic plurima alia praecepta, utpote plane ad *forum* spectantia silentio praeterimus, sequentes hac ardua in re commendando auctores, scilicet ZACCHIAM (13), THOMASIUM (14), HEBENSTREITIUM (15), CAMERARIUM (16), CRELLIUM (17), BOSEUM (18), GRUNERUM (19), PLATNERUM

(13) Quaest. med. legal. L. II. Tit. I. quaest. 16. L III. T. 2. quaest. 3. Consult. N. 86.

(14) Diss. de praesumt. furoris, et dementiae. Hal. 1719.

(15) De homicida delirante, ejusque criteriis, et poena. Lips. 1723.

(16) Diss. annotationes ad THOMASII disputat. de praesumtione furoris etc. Tub. 1730.

(17) Diss. de probationibus sanae mentis. Vitemb. 1737.

(18) De morbis mentis delicta excusantibus. Lips. 1774.

(19) De caussis melancholiae, et maniae dubiis in medicina forensi caute admittendis. Jen. 1783. Progr. de fontibus melancholiae, et maniae forensib. Jen. 1784.

(20), JOHNSTONIUM (21), SEILERUM (22), HOFFBAUERUM (23), ELVERTUM (24), MASIUM (25), ne dicamus de *compendiis* medicinae forensis.

Mania a delirio distinguenda.

5. Distingui solet *delirium* a *maniis* sequentibus signis (26).

Delirium.	*Mania.*
1. Morbus est acutus.	1. Morbus est chronicus.
2. Febre stipatur.	2. Febris nulla.
3. Aeger neque percipit, neque objecta praesentia cognoscit.	3. Aeger percipit omnia, et saepe cognoscit.
4. Ideae sunt omnes	4. Excepto subjecto

(20) Pr. quaestio medic. forens. de ament. occulta. Lips. 1797. Pr. de melancholia senili occulta. Lips. 1806.

(21) *Medical jurisprudence on madness.* Lond. 1800.

(22) Diss. de exploranda dubia mentis alienatione in hominibus facinorosis. Viteb. 1805.

(23) *Psychologie in ihren Hauptanwendungen auf die Rechtsflege, nach d. allgemeinen Gesichtspunkten der Gesetzgebung. Hal.* 1808.

(24) *Ueber arztl. Untersuch. d. Gemuthszustandes. Tub.* 1810.

(25) *Medic. Bemerk. uber einige altere u. neuere Gesetze, besond. uber einige Artikel d. Code Napoleon. Rostok* 1813.

(26) SWEDIAUR Op. c. Vol. I. p. 545.

perturbatae, et sine nexu.	peculiari, ideae justae sunt.
5. Rationis usus plane deletus est.	5. Ratiocinium solum ob falsa praemissa erroneum videtur.

Quisne autem non videret, signa ista diagnostica valde esse ambigua? Sic in mania periodica quivis paroxysmus veluti morbus acutus decurrit: sic febris non omne absolute comitatur delirium, nec semper in maniis desideratur (*). Praeterea sunt aegri, qui se delirasse cognoscunt, et vaniloquium illico corrigunt. In mania chaos etiam omnes ideae perturbatae obveniunt, et contra extant deliria circa unum tantum objectum versantia. Postremo aegri delirantes aliquando majori, quam in statu sano, ingenio pollent, ac poëtice plane loquuntur. Concludimus hinc, inter delirium, et maniam verisimiliter tantum non existere discrimen, ut scholis asserere placuit. Quo posito, in casu dubio, potius delirii nomen, ut mitius resonans, terribili illi maniae praeferre solemus.

Diagnosis formarum generatim.

6. Jam vero nos ad *diagnosin formarum maniae* accingimus, quo opere absoluto, adi-

(*) De hoc argumento legi meretur RIVERIUS Lib. I. Prax. med. c. 13.

tus ad indagationem *naturae* morbi eo magis patebit.

Mania hypochondriaca.

7. *Maniam hypochondriacam* adesse dicimus, dum aeger vel perceptiones erroneas circa conditionem proprii corporis accipit, quas, nisi imaginatio rationem obfuscaret, sensuum externorum ope facile corrigere posset, vel perceptionibus a sensu universali interno suppeditatis attentionem exclusive impendit, ac reliquis objectis neglectis, ad munera sua exercenda ineptus evadit. *Mania hypochondriaca* cum melancholia evidentem alens nexum (27) a *simplici hypochondriasi* in eo differt, quod in ista aeger solum circa conditionem corporis sui *internam*, igitur circa objecta, quae aliis sensibus impervia sunt, hallucinatur; in *mania* autem *hypochondriaca* etiam circa conditionem corporis sui *ad externam*, ubi tamen perceptio erronea ab *uno* sensu proficiscens facile a reliquis sensibus corrigi posset, errat. Interea et hic limites certos statui haud posse libenter

(27) Krey diss. de connubio inter melancholiam, et malum hypochondriacum. Erford. 1797. Sciendum autem est, plurimos auctores sub nomine *melancholiae hypochondriacae* eam intelligere maniam, cujus caussa in hypochondriis latet; exemplo esto Schrotter l. c.

concedimus. *Diagnosis lycanthropiae* morbi plerumque vernalis, et periodici, cautelas speciales exposcit, ne scilicet haec maniae hypochondriacae species confundatur cum *hydrophobia rabiosa* (28), cum *somnambulismo* (29), et *cum conditione hominum in sylvis belluarum instar errantium* (30), ne dicamus de *fabulis* (31), et *metaphoricis narrationibus* (32).

(28) Accidit interdum, quod delirium in hydrophobia rabiosa imaginationem ab idea canis, vel lupi, qui aegrum momorderat, laesam exhibeat, unde facilis cum lycanthropia confusio. Cfr. *Salzburger med. chirurg. Zeitung.* 1809. N. 88.

(29) Cum et in lycanthropia aegri noctu vagentur, similitudo quaedam cum somnambulismo oritur, quae interdum in errorem ducit. V. diss. cit. cap. nostro XI. §. XLVII. 2.

(30) Camerarius horar. subcis. Cent. I. Francf. 1602. c. 75. Rzaczynski hist. nat. Polon. Sandomir. 1721. p. 355. Connor *natural history of Poland.* T. I. p. 342. Tulpius obs. med. Lib. IV. c. 10. p. 296 *Breslauer Samml. von* N. *und* K. G. 21. *Versuch.* p. 438. Linnaeus Amoen. acad. T. VI. p. 65. H... t. *histoire d'une jeune fille sauvage. Paris* 1755. Racine, *fils*, *poëme de la religion. Eclaircissement de l'épître* 2 *sur l'homme.* Bonnaterre *notice historique sur le sauvage de l'Aveyron. Paris l'an VIII.* Virey *histoire naturelle du genre humain.* T. 2. p. 289.

(31) Lege de Circe maga ex Homero. Apud Plinium ex Herodoto narratur: populos quosdam quotannis fieri lupos, et postmodum redire homines. Eadem fabula de incolis

Mania chimera.

8. In diagnosi *maniae chimerae*, morbi a vitiosa imaginatione derivandi, et *M. hypochondriacae* affinis, maxime ad *actiones* aegri respiciendum est, quae si rationi consentaneae forent, idea chimerica per se maniam minime constitueret. Enimvero « si illi, qui falsas, et inutiles, i., e. nimis abstractas ideas fabricant, et de iis tamquam pro aris, et focis disceptant: si illi, qui falsas propositiones defendunt: si illi, qui ineptis syllogismis utuntur, aut fallacias in argumentando committunt: si illi, qui de logomachiis litigant, aut meteoris orationis utuntur; si denique illi, qui sine methodo docent, et flosculis oratoriis affectus audientium, et legentium corrumpere intendunt, pro dementibus habendi essent, sequeretur illud absurdum, plerosque eruditorum in omnibus facultatibus, et disciplinis pro dementibus esse habendos » (33).

Borussiae, et Lithuaniae jactabatur, ut videre est apud Camdenum (Hibernia sua p. 2.) Olaum Magnum (L. XVIII. tribus extremis capitibus, testantibus Pezelio (Disp. de transmutatione hominum in lupos. Lips. 1673.), et Wantschero (Disp. de lupo, et lycanthropia. Wittenb. 1666.).

(32) Th. Bartholinus in Epist. med. Cent. II. Epist. 100., et in miscellaneis de morbis biblicis c. 13. p. 53. Nimpisch diss. de metamorphosi Nabuchodonosoris. Lips. 1688.

(33) Thomasius l. c. p. 19.

Mania moria.

9. Gaudium singulas actiones concomitans, et fontem inexplebilem felicitatis constituens (34) nequidem pro morbo haberi posset, nisi aegri *mania moria* detenti omnium ludibrio viverent, et familiis gravi oneri essent; praeteriere enim et *sannionum aulicorum* (35) tempora, ac jam notiones integrae illorum privilegium principibus veritatem aperte dicendi usurparunt.

Mania melancholica.

10. Sicuti mania moria characterem exhibet gaudii, *ita mania melancholica* illum moe-

(34) Ajax apud Sophoclem, qui jam ex insania resipuerat, ait:

Suavissima hic est vita, si sapias nil;
Nam sapere nil, doloris expers est malum.

Horatii versus lippis, et tonsoribus noti sunt:

..... *Fuit homo ignobilis Argis,*
Qui se credebat miras audire tragoedias,
In vacuo laetus sessor, plausorque theatro.
Hic ubi cognatorum opibus, curisque reflectus
Expulit helleboro morbum, bilemque meraco,
Et redit ad sese: Pol me occidistis, amici,
Non servastis, ait, cui sic extorta voluptas.

Cfr. Zieroldi diss. moralis: *de fortunata stultitia*; et Erasmi encomium moriae: Esquirol l. c. p. 159.

(35) Flögel *Geschichte der hofnarren.*

roris. Extat vero inter ipsas melancholias conspicua differentia; nunc enim aditus per sensus externos ad animum clausi sunt, et attentio plane in contemplatione ideae cujusdam sive a memoria, sive ab imaginatione suggestae, tota est ita, ut similitudo quaedam inter talem melancholiam, et catalepsin intercedat; nunc autem perceptio objectorum externorum non interrumpitur, iisque debita impenditur attentio, ast judicium, et voluntas languent, ac aeger infelicissimus (36) aeque sibimet ipsi, ac aliis molestus evadit.

Mania phantastica.

11. *Maniam phantasticam* inter, et ecstasin haud raro affinitatem animadvertere licet. Attamen ideae religiosae in illa potius symptoma quam caussam morbi sistunt. Homines saltem vidimus, fide religiosa quamquam non excellentes, maniae tamen phantasticae cum continuis religiosis cogitationibus obnoxios. Preterea maniam phantasticam non solum objecta reli-

(36) . . . . . . *Forgotten quite*
All former scenes of dear delight,
Connubial love parental joy,
No sympathies like these his soul employ;
But all is dark within. . . . . .
Penrose *Flights of Fancy.*

giosa respicere, sed quandoque et circa res ad politicam (37), et ad scientias spectantes versari terribilis illa epidemica mania ab anno 1791 usque ad annum 1794, et ultra in Gallia saeviens, nec non altera mitior in Germania initio seculi XIX inter asseclas plures philosophiae naturae regnans, testatur. Sunt tandem *visiones*, quae, utpote perstante judicio occurrentes maniis non adscribi, sed a solo vitio imaginationis sensum quemdam (plerumque visum) imperio suo subjiciente (38), vel etiam a mentis imbecillitate (39) derivari debent.

(37) *Enthusiasmum politicum* inter vesanias refert Daniel Nicolaus (exul gallicus) in diss. de mania. Francf. ad Viadr. 1692. edita. « Redeunt subinde, ait, tanquam per insomnium patrii lares, animumque pristini instituti ratio subit, furorem, vesaniamque eorum, qui me extorrem egerunt, saepe saepius doleo. Atque dum haec mecum subinde repeto, affine insaniae genus inter morbos deprehendo ubi aegri cum studio insaniunt, maniacos intellige; aeque enim hi, atque illi suae passioni tenaciter adhaerent, reliqua negligunt omnia, coelum terrae miscent, diffringunt obvia, in se ipos sunt injurii, sibique violentas injiciunt manus, quae vera sane patriae quondam meae imago ». Videntur mehercle haec aevo nostro scripta fuisse!

(38) Plomann diss. de paradoxis sensuum, 1676.

(39) Thelwall *on imperfect developpement of the facultie, mental and moral as well as constitutional and organic*

Exempla huc spectantia collegerunt CARDANUS (40), BONNET (41), VALSALVA (42), HOOLE (43), REIL (44), aliique (45). Neque obliviscendum, dari qui credulos experimentorum opticorum ope, ac ludibrii caussa in errorem ducunt (46).

Mania erotica.

12. Quae in amore effreno solum periclitatur ratio, haec in *mania erotica* revera deficit. Porro in mania erotica amor saepissime *symptoma morbi*, in amore autem effreno *morbum ipsum* constituit. CRICHTONIO hinc omnino assentimur contendenti (47), maniam saepe immerito ab amore repeti hocce animi pathema, dum morbum proxime praecedit, ad aegritudinis initium plerumque spectare (48).

and on the treatment of impediment of speeck. Lond. 1810.

(40) HALLER element. physiol. T. V. p. 537.

(41) *Analytische Versuche uber die Seelenkrafte. Bremen* 1770. 2. *Th. p* 67.

(42) PLENK de morbis oculorum, p. 206.

(43) *Life of Tassò, p.* 48.

(44) *Fieberlehre* l. c. p. 283.

(45) *Berlinische Monatschrift. May* 1799.

(46) *Oesterreichischer Beobachter* 1816. *N.* 234.

(47) L. c. p. 496.

(48) Pater meus Viennae pro virgine, ut ajebant, ex amore

Quodsi etiam amor maniam quandoque producit, inde absolute non sequitur, talem maniam semper eroticam fore. Vidimus saltem, quod ab amore nunc melancholia, nunc mania phantastica etc. ortae fuerint. Sic et mania erotica a nymphomania, vel satyriasi concomitata haud semper ex veneris desiderio oritur, sed tale desiderium potius pro symptomate agnoscit. Qua de re testatur observatio, quod, mania erotica libidinosa *periodice* decurrente, aegri tempore intervalli lucidi haud raro casti, et morigeri sunt.

Mania saeviens.

13. *Mania saeviens* facillime cum *delirio* (49), *irae accessu*, vel *malitia* confunditur: quod praecipue de ea mania valet, in qua actus saevitiei *quid involuntarii* exhibet, quaeque a

maniaca facta, in consilium vocatus est. Optimum morbi auxilium videbatur matrimonium. Ast, eo vix inito, en haec ipsa aegra pristinam amoris ideam derelinquit, et odio maritum prosequitur.

(49) Sic casus a cl. Heim (Hufeland's *Journ. der pr. Heilk.* 1816. jan. p. 118.) enarratus, viri scilicet, qui prius sanus extemplo uxorem noctu sine ulla caussa e fenestra dejicere voluit, altera mane autem, porrecto emetico, integrae, et permanenti sanitati restitutus est, potius ad deriulim, quam ad maniam spectat.

PINELIO (50) pro *furore sine rationis laesione* declaratur. Arduum sane est judicium hic proferre, quod neque humanitati, neque ordini sociali adversetur; aeque enim crudele foret hominem ob actiones, a quibus se abstinere non potuit, punire, quam insanum existentiam furoris cum illaeso judicio, ut morbum, admittere; tali enim pacto de societate civili actum foret, ac scelerones ad crimina omnis generis committenda liberum invenirent campum! Attamen in tam gravem philantropiae abusum, de quo non immerito jurisconsulti hodierni conqueruntur (51), incurreremus, si doctrina a PINELIO allata (52) pro norma admitteretur.

(50) L. c. p. 156, 159.

(51) TITTMANN *Vortrage und Urtheile uber merkwurdige Straffalle. Leipz.* 1815.

(52) Vir, de quo PINEL p. 156 narrat, scelero mihi est non gyrgatho, sed furca dignus. Aegrotus, cujus p. 157 mentionem injicit, saltem tempore furoris (quem imminere sentiebat, unde adstantes praemonere erat solitus) ratione destituebatur. Alter (Vid. §. C. N. 11.) aperte judicio orbatus erat, alias, cur liberatores suos aggressus esset, intelligi non posset. Pulchre PINELIUS hic refutatur ab HENKE in *Abhandlungen aus dem Gebiete der gerichtl. Medicin.*

Complicationes formarum.

14. Diagnosin *maniae fatuitatis*, *idiotismi*, et *chaos*, utpote vix peculiares difficultates exhibentem silentio praeterimus doctrinam *complicationum formarum* insectantes; nulla enim datur maniarum forma, quae cum alia, quandoque adspectus oppositi, societatem inire non possit. Saepissime complicantur, aut sibi invicem succedunt *mania chimera* cum *moria*, *moria* cum *melancholia* (53), et *phantastica*, nec non *erotica* cum *saeviente* (54).

(53) Anno 1814 a Doct. Barankewitz in consilium adductus fui pro nobili femina 45 annos nata, menstruorum fluxu necdum orbata, quae post mille infortunia derepente a tremore totius corporis correpta est, subsequente unius noctis spatio erythemate, quasi dixerim *ecchymomate* ad dorsum manuum omnibus hucusque auxiliis rebelli. Nunc vero jam ab anno quindecim dies veluti *moria*, et dein per tres, quatuorve hebdomadas quasi *melancholia* laborat. Hoc in casu silentiosa uni loco affixa manet, parumque cibi sumit. In illo hilaris, et admodum loquax fit, atque continua habitationis mutatione delectatur. Tantus tunc observatur loquendi impulsus, ut solum defatigationis, aut somni caussa os claudat. Adstantium sermonem, utpote propriam loquacitatem impedientem aegre fert; quin immo concionatorem in ecclesia invidia prosequitur, dolenter exclamans: « cur illi loqui licitum est, et non mihi »? Sub paroxysmo loquacitatis animo adeo strenuo dotatur, ut (sunt verba aegrae) libenter aggeres tormentis munitos ag-

Conclusio.

15. Ex facili transitu unius maniae formae in aliam, nec non ex frequenti earum complicatione concludimus, *manias, qualemcunque exhibeant formam, in radice tamen invicem convenire, typum saepe a circumstantiis fortuitis accipere* (*), *et intrinsecam illarum*

grederetur. Simul impulsum aliis injuriam inferendi tunc percipit, ac saepe a famula sua pro renumeratione veniam verberibus illam afficiendi obtinere studet, affirmans, se ipsam sic à sensu molestiae optime liberari. Judicium nunquam deletur, unde casum praesentem potius pro hysteriâ, quam pro maniâ declaravi.

(54) Pinel de monacho narrat (l. c. p. 165) maniâ phantastica laborante, qui visionem St. Virginis expertum se esse credebat imperantis, ut hominem quendam incredulum necaret. Jam aeger se ad nefandum opus accingebat, cum propositum innotuit. Et Cox animadvertit (l. c. p. 78.), aegros maniâ phantastica affectos saepe in medicos, et custodes, quos pro impiis, et haereticis habent, saevire. Zieglerus (Part. I. cent. 3. ep. 30. p. 677.) refert, sponsum Bohemum a. 1606. novam thori sociam prima statim nocte in lecto geniali a se suffocatam, injectis pectori dentibus, arrosisse. Alium casum Frid. Lucas (Chron. Siles. P. II. p. 2225.) exhibet, ubi quis dilectam sibi puellam, sed a parentibus negatam, aliique promissam, prius tamen ad devotas preces secum fundendas advocatam cultro jugulavit.

(*) Disposito jam homine ad maniam, haec typum a caussa excitante accipere videtur, ac verisimiliter idem aeger, qui

indolem vix a variis formis, quas induunt, pendere. Credimus immo, praxin medicam parum lucri ex collectione verborum, et actionum omnis generis stultorum recipere posse, ac ad doctrinam, de qua agitur, excolendam viam longe aliam eligendam esse; si enim perpendimus, manias a morbosa sensuum, nervorum, et cerebri conditione pullulare, qua anima instrumentis suis plus, minusve orbatur, unde major, minorve privatio usus rationis subsequitur, directe ad conclusionem adigimur, maniarum caussas a caussis aliorum morborum systematis nervosi non differre, ac in iisdem prorsus diathesibus, ex quibus morbos in genere derivavimus, quaerendas esse.

Diathesis inflammatoria.

16. Conjice enim primum oculos in secta cadavera maniacorum, ac cunctas in iis invenies *inflammationum reliquias*; nempe meninges crassiores, pseudomembranis obductas, serum inter eas effusum, duram matrem cranio adcretam, vasa sanguinea encephali varicosa, cerebrum durum, exulceratum, gangraenosum, ventriculos sero repletos, plexus choroideos cruore turgentes etc. Descende dein

per exercitia religiosa in maniam phantasticam conjicitur, per exercitia militaria in maniam saevientem conjiceretur.

ad examen caussarum manias excitantium, ac reperies earum permultas morbis inflammatoriis in genere, et illis encephali in specie faventes, ut iram, studia, vigilias, motum nimium, ebrietatem, insolationem, violentias capiti illatas, narcotica, haemorrhagias consuetas suppressas etc. Compara tandem haec omnia cum maniarum plurimarum symptomatibus, e. c. calore universali, lucis intolerantia, rubore oculorum, pulsu magno etc., et non dubitabis, diathesin inflammatoriam maniis haud paucis, praesertim sub forma chimerae, phantasticae, eroticae, et maxime saevientis comparentibus ansam porrigere, quas manias *inflammatorias* vocare nil prorsus impedit.

Diathesis gastrica.

17. *Manias* dari *gastricas*, intelliges rationem habendo, 1.° consensus abdominis cum cerebro; 2.° sectionum cadaverum intestina faecibus repleta, bilemque tenacem nigerrimam exhibentium; 3.° aetatis, sicuti morbis gastricis in genere, ita evolutioni maniae faventis; 4.° irae, ut bilis secretionem praeter modum elicientis,, flatuum, vermium, obstructionum viscerum abdominalium etc. Maniae, de quibus agitur, hypochondriorum tensione, cuti subflava, sputatione crebra, halitu oris foetido,

flatuum eructatione, ac augmento malorum horis vespertinis insigniri solent. Spectant huc frequenter mania hypochondriaca, melancholica, et saeviens.

Diathesis arthritica.

18. *Diathesis arthritica*, praesertim in maniis periodicis, quarum accessus cum anni tempestatibus cohaerent, quaeque in hominibus laute viventibus morbis herpeticis, sudoribus, et diarrhoeis salutaribus quondam subjectis obveniunt, sibi jus vindicat. Observationem hujusmodi LORRYO plane notam (55) classico alias de morbis arthriticis scriptori (56) latitasse, miramur. Confirmatur tamen vel ab ipsa cadaverum maniacorum autopsia. Nullibi saltem certiores arthritidis notas, quam calculi in processu falciformi, cerebro, et cerebello exhibent, invenies. Adde, maniacos haud raro ex stirpe arthritica oriri, ac in paroxysmos per frigus, sudores suppressos, crapulam conjici.

Diathesis rachitica, et scrophulosa.

19. Adspice formam cranii e. c. in idiotismo: perpende conditionem ossium encephalum componentium, ac processum ossificationis in

(55) Op. c. I. Th. p. 209.

(56) BARTHEZ op. c.

dura matre, cerebro, cerebello, et aliis in maniis obvium: considera habitum rachiticum praecipue eorum, qui maniam ex vitio haereditario contraxerunt, et conditionem columnae vertebralis, quam saepe a recta linea aberrare videbis, et convictus eris, saltem dispositionem ad varias alienationes mentis in *labe rachitica* thecam cerebri laedente, aut in *labe scrophulosa* glandulis encephali infensa quaerendam esse. Ad hanc labem praecipue concludimus habita ratione, 1.° imperii constitutionis scrophulosae in facultates animi, 2.° habitus scrophulosi, quem plurimi maniacorum, praesertim sexus sequioris prae se ferunt, et 3.° vitiorum glandularum in cerebro, et abdomine maniacorum repertorum.

Diathesis carcinomatica.

20. Nec *diathesin carcinomaticam* ex morbosis conditionibus maniae ansam porrigentibus excludendam esse credimus: 1.° cum plurimae maniae, praesertim in feminis, circa epocham vitae affectionibus carcinomaticis faventem evolvantur; 2° cum animi pathemata, tam frequens maniarum caussa, in diathesi carcinomatica gignenda multum quoque valeant; 3.° cum morbi alii systematis nervosi adsint, e. c. prosopalgia, quae evidenter ex diathesi carcinomatica pullulant, 4.° cum plica, utpote leprae, carcino-

matis fontis (57), progenies haud raro maniis ansam porrigat, et 5°. cum partes variae speciatim vitio carcinomatico obnoxiae, e. c. mammae, et uterus scenam magni momenti in maniis ludere soleant.

Monitum.

21. Sicuti enim morbi systematis nervosi in genere (58), non semper directe ex affectione morbosa cerebri, medullae spinalis, et nervorum oriuntur, sed saepe indirecte a labe aliorum viscerum proveniunt, sic et maniae in specie non constanter ex vitio encephali, sed haud raro ex affectione qualicunque demum inflammatoria, arthritica, carcinomatica etc. *cordis* (59), *hepatis*, *lienis*, et praecipue *uteri* (60) ortum trahit. Ex quibus singulis colligitur, quanti momenti examen abdominis, et exploratio uteri in maniis esse debeat.

(57) P. I. Vol. II. Cap. XXXIV. §. CXXXV. 6.

(58) Cap. I. §. IV. 22.

(59) Cor in melancholia affici jam SENNERTUS (Lib. II. institut. P. III. sect. 2. c. 4.), et FORESTUS (Lib. X. obs. 12.) docuerunt.

(60) Sic *mania puerperarum* ab encephalitide puerperali probe distinguenda aperte ex uteri labe oritur, de quo argumento legantur: SCHENK Lib. IV. obs. 240. GAUTIER de irritabil. p. 114. SELLE *med. Bemerk.* 1783. *p.* 524. CHAMBON. *Krankh. der Frauen. Frankf.* 1789. 2. *Th. p.* 337. *Ejusdem Arzt*

Diathesis nervosa.

22. Quamobrem solum, ubi possibilem certitudinem acquisivimus, maniam neque ex vitio inflammatorio, neque ex vitio gastrico, neque ex vitio arthritico, neque ex vitio rachitico, aut scrophuloso, neque ex vitio carcinomatico, neque ex vitio quodam organico caussae traumaticae adscribendo pullulare, illius originem in *exaltatione peculiari systematis nervosi*, *diatheseos nervosae progenie* quaerimus. Huc spectant maniae ex onania, venere nimia, unis animi pathematibus, et inanitione ortae. Posse enim vel simplicem *debilitatem* maniis ansam porrigere, aut earum curae obstare, praeter Coxii (61), et nostra docet experientia (62).

fur Schwangere. Dorfmüller in Starks *Archiv f. d. Geburtshulfe.* 3. *B. p.* 38. Rehfeld diss. sistens descriptionem periodicae insaniae melancholici generis. Goett. 1809.

(61) L. c. p. 109.

(62) Virgo viginti annorum constitutionis scrophulosae in rheumatismum acutum altera incidit vice. Morbo ad acmen perducto, sub cruciatibus acerbis noctem insomnem trahens canum horrendum ululatum audivit. Talem ululatum pro certissimo augurio mortis suae imminentis cum haberet, vehementer terrefacta est, ac brevi post rationis usu privata, surrexit, fores petiit, affines timebat, affirmans, eos jam paratos esse ad ipsam viventem sepeliendam. Applicitis hirudinibus, et dein vesicatorio ad caput, exhibitisque variis antiphlogisticis, et diapnoicis auxiliis, aegra

§. CX.

PROGNOSIS.

Generatim.

1. Inter omnia mala, quae miseram flagellant humanitatem, nullum eo deterius, ex quo silentis rationis periculum imminet, invenitur (63). Pertinent praeterea maniae ad morbos difficilioris curationis. Num veteres medici in sanatione illarum feliciores fuerint (64), quam

quietior fiebat, ast incidit in perfectam *melancholiam* fere cum *fatuitate*. Dr. Herberski caussam nunc in rheumate, nunc in metastasi ad cerebrum, nunc in vitio scrophuloso, nunc in liquore extravasato cerebrum comprimente quaerens, deductis in consilium et aliis medicis, meque ipso, omnia tentabat, at incassum. Haec cum viderem, et perpenderem, morbum in convalescentia fuisse graviorem redditum, habita simul ratione menstruorum parum fluentium, ad *martialia* confugiendum esse statui. Ac revera, sumta *tinctura martis pomata* ad sat largam dosin per sex hebdomadum spatium, rationis usus cum viribus rediit. Jam duo excurrerunt anni, et recidiva non comparuit. Cfr. Pargeter in *mém. de la Soc. méd. d'émulation*, T. II. p. 241.

(63) « *Of the uncertainities of our present state, the most dreadful and alarming is the uncertain continuance of reason* ». (Johnson *in Rasselas Prince of Abyssinia*).

(64) Lorry op. c. Vol. II. Cox l. c. p. X. Vol. I. in nota.

recentiores, non audemus determinare. Maxime rebelles observantur maniae hereditariae (65) epilepsiae junctae (66), ex aliis morbis cerebri ortae, et habituales redditae. Sunt tamen maniae inveteratae, quae tandem sponte evanescunt (67). Ex quo apparet, quam arduum sit judicium de maniis insanabilibus proferre (68). Non minus arduum est proportionem inter maniacos sanatos, et reliquos statuere (69).

(65) Miror, Battie (l. c.) contendere, manias ereditarias haud difficilius, quam reliquas curari.

(66) Manuet. ergo melancholiae, et epilepsiae mutuae vices. Paris 1650.

(67) Pinel (p. 88. in nota) casum matronae refert, quae a mania saeva per *viginti septem annos* durante convaluit. Vix mentis compos reddita, illico suos infantes quaesivit, quos in tenera aetate dereliquerat. Verum cum illi dictum fuerit, eos jam adeo adolevisse, ut matrimonium inire potuerint, vix id concipere valebat. Cfr. Esquirol l. c. p. 206.

(68) Reil (in append. ad version. germ. op. cit. Coxii p. 8.) leviter hoc objectum pertractat.

(69) Qui calculis istis delectantur, adeant Pinelium (l. c. p. 404.), Esquirol (l. c. p. 204.), et Tukeum (l. c.). Hoc referente, in nosocomio Londinensi St. Lucae ann. 1807. inter 235. maniacos 108. sanati, 27. mortui sunt, et 100. incurabiles mansere. In nosocomio ejusdem urbis *Bedlam* dicto, ab ann. 1784., usque ad an. 1794. suscepti sunt 1664 aegri, inter quos 564. sanati fuere. Me opinante calculi hujus generis eo minus laudabiles sunt, quo sinceriores.

Prognosis ex forma.

2. Si ex *forma* maniarum prognosin desumamus, elucet: *maniam hypochondriacam* aliquando stratagemate, casu, temporis curriculo sanari, aut saltem ad conditionem hypochondriasis simplicis reduci, alias facillime in melancholiam transire: *maniam chimeram*, si inveterata, rarius curam admittere, idem de *mania moria* dicendum esse, quamvis deliratio, quae cum risu fit, pro tutiore ea, quae adhibito studio contingit, declarata fuerit (70): *maniam melancholicam* difficilius saevienti debellari (71), nisi vero tempestive debelletur, monente jam HIPPOCRATE (72) « vel in apoplexiam, vel in epilepsiam, et spasmum, vel in coecitatem, et maniam degenerare »: *maniam phantasticam*, nisi in melancholiam transeat, aut ex meditatione nimis protracta oriatur, multum spei relinquere: nec adeo timendam esse *maniam eroticam*, inprimis si platonica fuerit,

(70) HIPPOCR. aph. sect. 6. aph. 53. PLINIUS contra risum in furoris morbo pro lethali declarat (L. VII. cap. 51.), quod verisimiliter de risu sardonico in febribus acutis intelligendum est.

(71) TUKE contra omnium experientiam contrarium sustinet asserens, duas tertias partes melancholicorum, dimidium autem maniacorum furentium sanari.

(72) Lib. VI. Aph. 56.

nymphomaniam enim vix curam admittere: *maniam saevientem* prae reliquis facillime evanescere, saltem pro tempore, cum morbus isque saepe periodice obveniat (73), (unde querelae de facili maniarum *recidiva* restringi debent): *maniam fatuitatem* plerumque rebellem, et *idiotismum*, saltem congenitum, insanabilem esse. *Maniae chaos* prognosis *m. saevientis* prognosi adaptari potest.

Prognosis ex indole.

3. Longe tutius prognosis *ex indole morbi* hauritur. *Maniae inflammatoriae*, si recentes, facillime curantur. Nec magnas exhibere solet difficultates *mania gastrica*. *Mania arthritica* fugata libenter recrudescit, nisi alter morbus ejusdem indolis vices illius agat. *Maniae rachiticae, et scrophulosae* jam jam stabilitae omnia plerumque artis conamina eludunt. Idem de *maniis* valet *indolis carcinomaticae*, in quibus spes

(73) Sicuti paroxysmi epilepsiae longis intervallis separati nequaquam pro recidivis ejusdem mali habendi sunt, ita et paroxysmi maniae, quamvis magnis lucidis intervallis sejuncti. Videas inde fallaciam tabularum nosocomialium, quae saepe aegrum a paroxysmo tantum liberatum pro sanato annunciant, eundem ab altero paroxysmo correptum pro novo aegro inscribunt, iterumque sub intervallo libero ut sanatum dimittunt, et sic sine fine.

omnis in eo posita est, quod ingruens alter morbus criseos quasi vices agere possit. *Maniae ex vitiis organicis*, caussis traumaticis, et praegressis inflammationibus originem debentibus difficillime fugantur. Interea permulta quoque obstacula invenit conamen *manias nervosas* curandi. Prognosis *maniae puerperarum* illi maniae inflammatoriae similis.

Signa bona.

4. Prodroma rationis redeuntis plus minusve secura sunt: notio proprii status, desiderium ex eo exeundi, amicum acquirendi, affines, infantes suos revisendi, crebrae physionomiae mutationes, facies mox rubra, mox pallida, timiditas, consuetudines, et inclinationes antiquae renatae, somnus reficiens, mutatio in forma morbi, accessus maniae saevientis (74), febris delirio peculiari stipata (sub cujus curriculo mania haud raro silet (75)), apparitio haemorrhoidum (76), menstruorum (77), vari-

(74) Maniam hypochondriacam, et melancholicam aliquoties a superveniente paroxysmo maniae saevientis fugatas vidi. Idem Cox (l. c. p. 72.) de mania phantastica fatetur.

(75) Tuke l. c. Lindbergson *Svenska Lakare-Sallskapets handlingar. Andra Bandet. Stockholm* 1815.

(76) Merlet: ergo melancholicis haemorrhoides salutares? Paris 1615.

(77) Paul. Aegineta L. III. c. 14. Helwig obs. p. 39., et

cum (78), exanthematum (79), apostematis (80), exulcerationis spontaneae (81), diarrhoeae (82), dysenteriae (83), quartanae (84), fluoris albi (85), ptyalismi (86), tetani (87), et certissime ingruens obesitas (88). Generatim *convalescentia* magnam cum praedispositione alit similitudinem (89).

alii cruenti e vagina fluxus apud Stoerk *vom weisen Diptam etc.*

(78) Hippocr. 6. Aph. 11. et 21. Schenk obs. Lib. I. N. 267.

(79) Riedlin Cent. I. obs. 4. Fischer in Richters *chirurg. Bibliothek*. 7. B. p. 772. Gardane *gazette de santé*. p. 269. Chiarugi l. c.

(80) Bogdanus obs. anat. chirurg. N. 2. Haecker diss. Biga obs. Argent. 1768.

(81) Sibbern in collect. Soc. med. Havn. Vol. I. N. 11.

(82) *Journ. de médecine*. T. 36. p. 20. T. 41. p. 21.

(83) Schenk Lib. I. obs. 266. Weber obs. med. Fasc. I. p. 42.

(84) Galen fragment. ex aph. Raby Moys. p. 40. Cabanis *rapport physique, et moral de l'homme*, p. 52. Ferrus *Journ. de méd.* T. 70. p. 424.

(85) Baldinger *n. Magazin*. 8. B. p. 285.

(86) Perfect l. c. p. 112.

(87) Heinecke in Hufeland's *Journ. d. pr. Heilk.* 7. B. 3. St. p. 119.

(88) Esquirol in *Journ. de méd.* 1814. mai.

(89) Cox l. c. p. 41.

Signa mala.

5. Dictis contraria: mala. Maxime displicet mutatio reliquarum maniarum in fatuitatem, et idiotismum, habitus aegri sanus, exercitium normale functionum corporis, effectus nulli, neque boni, neque mali pharmacorum, praecipue emeticorum, et drasticorum, periodi cardinales vitae, ut epocha pubertatis, cessationis menstruorum etc. sine mutatione in morbo contingentes, capitis dolor diuturnus, inprimis circa cerebellum, strabismus, intolerantia lucis, et motus inordinati capitis.

Terminus quis?

6. Maniaci rarius aetatem provectam attingunt (90), ac plerumque sub insultu sive epileptico, sive apoplectico pereunt, vel marasmo,

(90) Contrarium quidem defendit Tuke (l. c.), ast observationes suae a *septuaginta* tantum aegrotis desumtae certe ad exceptiones pertinent, et generalem experientiam haud subvertunt. Inter allatum nempe maniacorum numerum Tuke observavit *duos* inter ann. 15, et 20, *octo* inter 20, et 30, *duodecim* inter 30, et 40, *viginti quatuor* inter 50, et 60, *undecim* inter 60, et 70, *quatuor* inter 70, et 80, et *duos* inter 80, et 90. Legatur de hoc ipso argumento Harmes diss. in caussas morborum, et mortis subjecti maniaci. Regiom. 1724. v. Halleri coll. diss. pract. Vol. I. N. 15. et Esquirol l. c. 213.

febre lenta nervosa, aut hydrope moriuntur. Plurimi, irrita omni sollicitudine, et custodia, propriae vitae ipsi terminum imponunt. Quandoque tentamina hujus generis frustrata inopinate sanitatem restituunt (91), quae alias quasi obtenta ab obstaculis improvise accidentibus ultra Garamantes rejicitur (92). In genere tamen vulnera in maniacis malae indolis, et interdum lethalia (93) observantur. Et manias interdum *salutares* esse non reticendum est; constat enim, eas contra morbos febriles epidemicos munire (94), et hydropem (95),

(91) Maniacus, qui in nosocomio Vindobonensi e fenestris primae contiguationis se projecit, fracto crure, rationi restitutus est. Matronam Vilnensem mania melancholica detentam ad thermas Carolinas misi, quibus sine apparente fructu usa est. Iter patriam versus institutura, rebusque omnibus, armis non exceptis, a socio ad hoc paratis, aegrota sclopetum minus arripit, sibique grave vulnus abdominale inflixit. Eo sanato, et a mania convaluit. Solum post plures annos typhi epidemici victima periit. Cfr. Reil *Rhapsod.* p. 71.

(92) Plurima hujus generis exempla Pinel (l. c. p. 477.) enarrat.

(93) Haeferus in Hercule suo medico. L. II. de affect. c. 7.

(94) Mead monita. p. 72. Cox l. c. p. 7.

(95) Mead (l. c.) de hydrope ascite a superveniente mania sanato refert. Fugata tandem et moria, sanitas omnino rediit.

maxime autem phthisin pulmonalem (96) debellasse, Maniacos aliis saepe periculosos evadere jam dictum est (*).

§. CXI.

CURA.

Generatim.

1. Cum maniaci raro in familiarum medio tolerari queant, et experientia docuerit, eos difficilius in proprio habitaculo sanari, maxima

(96) MEAD. Ipse cum professore SNIADECKI uxorem comitis P. curavi, quae pectore admodum debili instructa erat, ac de phthisi pulmonali suspecta. A mania prehensa, signa phthiseos plane evanuerunt, ac pectus ejulatus diu noctuque protractos plane sustinuit. Nobilissima virgo ex Volhynia Vilnam adducta, meaeque curae commissa, ex matre maniaca descendens, ipsa melancholiae proxima erat; tristis enim solitudinem quaerens de sensu anxietatis conquerebatur vitae taedium afferente. Extremitates tum superiores, tum inferiores coerulei cernebantur coloris. En inopinate haemoptysis, et ea vix absoluta, animus placatus, et serenus. Ast pectore restaurato pristina rediit animi conditio, atque sic altera vice, donec ab utrisque malis liberata fuerat.

(*) §. C. N. 8. Cfr. *Deutsche Justiz und Polyzey Fama.* 1803. N. 12. p. 97.

illorum pars, aevo saltem nostro (97), gyrgathis sive publicis, sive privatis tradi solet. Haec cum ita sint, primum *de gyrgathis* praesertim *publicis*, nec non *de regimine diaetetico*, *et psychico maniacorum* locuturi sumus. Sequetur reliqua therapiae pars, quae *auxilia chirurgica*, aliaque *externa*, et *pharmaceutica* respicit.

De gyrgathis.

2. Liceat ante omnia pro gyrgathis, *nomen* quod appellationibus usitatissimis (98) animum minus feriat, impetrare. *Asyli* illud proponimus. Rogamus porro, ne gyrgathi alterius xenodochii (99), et longe adhuc minus carcerum (100) constituat partem. Quin immo ipsi gyrgathi nimios non contineant aegrotos: eorum non ultra centum optamus (1). Praeterea aedifi-

(97) Veteres gyrgathos non habuisse Lorry docte demonstrat. op. c. 2. Th. p. 284.

(98) E. c. *petites maisons*, *Narrenhaus*, *Tollhaus*.

(99) E. c. gyrgathum Vindobonense, quod nosocomio civico universali aggregatum est. Item *La Salpetriere* Parisiis. Cfr. op. m. citat. *Reise nach Paris*, *London etc. I. Th.*

(100) E. c. *Bicetre* Parisiis, et plura ergastula Germaniae. Cfr. cit. op. meum et Pockels *Bemerkungen uber das cellische Zucht und Irrenhaus in den Denkwurdigkeiten zur Bereicherung d. Erfahrungsseelenlehre.* Halle 1794.

(1) *La Salpetriere* Parisiis 600 maniacos continet, sed etiam

cium gyrgatho dicatum, potius extensione, quam altitudine excellat (2). Esto illius forma simplex, et aedificiis consuetis, saltem exterius, similis (3). Structuram in tabula aenea hic addita (*) exaratam, minus tamen, si lubet, columnis ornatam, proponimus (4). Eligatur pro tali

pro norma a me non proponitur. Gyrgathum Londinense 300 aegros numerat, ast incomparabile hoc institutum etiam a 115,015 libris sterlinis sustinetur! Habeat modo quaevis urbs aliorum nosocomiorum instar et proprium gyrgathum, atque tunc necessitas in metropoli amplissimum gyrgathum erigendi non urgebit.

(2) Nil pejus, quam homines impuros unum super alterum locare. Miror hinc W. STARKIUM (op. mox citando) gyrgathum ex tribus contignationibus proposuisse.

(3) Vir lepidus, formam altissimae, et rotundae turris gyrgathi Vindobonensis, jussu divi Imperatoris JOSEPHI II conditi, observans, epigramma inscribere ausus est: JOSEPHUS, *ubique secundus*, *hic primus*.

(4) De structura, et administratione gyrgathorum legi possunt: KRUNITZ *Encyclopedie*. 47. B. HOWARD *Nachrichten von den vorzuglichsten Krankenhausern in Europa. Leipz*, 1791. MARCUS *von den Vortheilen der Krankenhauser fur den Staat. Bamberg* 1790. TUKE op. c. W. STARK *remarks on the construction of public hospital for the cure of mental derangement. Glasgow* 1810. Cfr. COLOMBIER *introduction sur la manière de gouverner les insensés, et travailler à leur guérison dans les asiles, qui leur sont destinés. Paris* 1736. HOCK's *Historische Nachrichten u. Bemerkungen uber die merkwurdigsten Irrenanstalten*.

(*) Vide hanc tabulam in fine voluminis.

construendo aedificio locus, ad habitationibus civium segregatus, quodammodo elevatus, aëre optimo et bonis iisque copiosis aquis dotatus (5). Janua antica (Tab. a) nonnisi ex jussu aperienda, semper clausa maneat. Foricula (b) ad janitoris habitationem (c) ducat, quam quivis intrare cupiens transire coactus erit. Exceptis familiaribus, nemo hic sine schedula admissionis a *directore* gyrgathi subscripta admittatur. Directoris officium ab eo medici ordinarii ejusdem instituti sejunctum vellemus (*). Schedula autem admissionis pro curiosis non nisi diebus, et horis determinatis concedatur. Ad curiosorum molestorum numerum imminuendum, et pro instituto simul lucri fontem aperiendum nemo sine pecuniae conspicua quantitate schedulam admissionis acquirat. Tempore, quo extranei introducuntur, aegri in cellulis reclusi maneant. Nemini, ne medicis quidem

Regensb. 1804. *New report on the state of the maldhouses by order of the house of commons. Lond.* 1816.

(5) Positio gyrgathi sub nomine *Retraite*, Yorkii existentis, optima est. Pessima ea gyrgathi Viennensis prope cloacam *Alsterbach.*

(*) Aliter quidem sentit expertus Esquirol (l. c. p. 223), ast ob faciles aegrorum, eorumque parentum contra medicum gyrgathi querelas, judex tamen requiritur, ac supremus inspector.

peregrinantibus (6) aegrotos ipsos visitare sit concessum. Si medicus extraneus consilii gratia adveniat, videat ille tantum aegrotum, pro quo advocatur. Sic et cum iis, qui aegrum consanguineum visitare cupiunt, agendum est. His tamen venia consanguineos adeundi, nisi prius medicus ordinarius annuerit, a directore concedi haud liceat (7). Si liceat, aeger tunc ad *parlatorium* (d) deducitur. Quoad aegrotos ipsos, ii solum ut tales in gyrgathum recipiuntur, quorum conditio maniaca ab authenticis medicorum approbatorum testimoniis (8) confirmata habetur. Recipiuntur tamen et ii, qui, quatenus de mania suspecti, a Politia observationis gratia instituto committuntur. Hi autem cum aegrotis reliquis non locantur, sed *cubicula probativa* (e) inhabitant, ad quae cubicula et

(6) Huic praecepto in gyrgathi Londinensi St. Lucae ipse subjectus fui. Ac revera a solo maniacorum adspectu nil addiscitur, ac gyrgathum in clinicum convertere omni ordini adversatur. Habeant contra instituta clinica cubiculum unum, alterumve maniacis dicatum, sicuti Vilnae stabilivi.

(7) Visitatio maniacorum ab affinibus vix unquam indifferens est, atque plerumque effectum vel bonum, vel malum producit, quem solum medicus ordinarius, utpote totius morbi historiae gnarus, praevidere potest.

(8) Cfr. Cox l. c. p. 214.

sanati prope exitum transferuntur. De singulis sive receptis, sive remissis individuis processus verbalis libro inscribi, etque cum reliquis chartis archivio tradi debet. Archivio praeest *inspector* gyrgathi. Eligatur pro tam gravi officio vir prudens, urbanus, sobrius, non iracundus, ac famulis instituti debitam concilians reverentiam. Inspector autem politiae totius domus intentus, ut simul aegrorum peculiarem curam habeat, vix expectandum. Constituatur ad hoc matrona, nomine *inspectricis*. Ambo ex classe institutorum infantum optime eliguntur; nil enim ad directionem maniacorum magis idoneum reddit, quam consuetudo infantes educandi. *Custodes* pro gyrgatho centum aegros continente decem requiruntur, utriusque sexus. Possunt eorum nonnulli ex convalescentibus pauperibus ipsius instituti desumi (9). Sic fatui saepe officiis in culina (f), aut in lavacro (g) praestandis egregie inserviunt. Custodes aegrorum optime vestis uniformis quodammodo monastica amicit, ne maniaci in iis vulgares famulos facile agnoscant. Veluti elingues aegrotis secundum regulas praescriptas famulari, et injurias sine contradictione tolerare debent (*); plane enim inu-

(9) Exemplo gyrgathi Amstelodamensis. v. PINEL l. c. p. 240. in nota.

(*) *Instruction fur den Irrenwarter und dessen Gehulfen*

tile est, maniacos *argumentis* persuadere velle, praecipue si ea ex ore hominum educatione destitutorum proveniant. Defendantur custodes adversus aegros rebelles superiorum ope, qui coram maniacis, quid agendum sit, praescribunt, et custodes executionis responsores constituunt; generatim enim juvat maniacos non directe alloqui, sed fixo in eos intuitu (10) sermonem ad adstantes dirigere (11). *Medicus ordinarius instituti* inspectoribus, et custodibus imperet, et coram aegrotantibus ut despota compareat; nisi enim maniaci persuasi sint, omnem eorum sortem a medici uno arbitrio pendere, de cura actum est (12). Medicus autem non solum in universa doctrina, quam profitetur, versatus, sed simul animi, cordisque humani gnarus sit. Optandum, ut illius habitus, et sese gerendi modus ab aegrotis reverentiam extorqueat. Pauca dicat verba, sed quod dicit, factis suffulciatur. Nunquam ae-

beim Irrenhause zu St. Georgen *am See.* v. Hock op. c. p. 22.

(10) Pargeter l. c.

(11) Wintringham in *Samml. auserles. Abhandl. fur pr. Aerzte.* 8. B. p. 282. Langermann l. c. p. 62. Reil *Rhaps.* p. 229.

(12) Cfr. *Reise nach Paris, London etc.* 2. *Th. p.* 163. et Reils *Rhapsod. p.* 25.

groto quid polliceri debet, quin id stricte adimpleatur. *Fraude* enim, et *stratagematibus* raro, et solum in *mania hypochondriaca*, uti oportet, qua scilicet in morbi forma a regula generali deflectere juvat, quod ab experientia Aetii (13), Donati (14), Quercetani (15), Sennerti (16), Schenkii (17), Gatinarii (18),

(13) Quidam se omnino capite destitutum putabat, ad quem sanandum Philotimus excogitavit *pileum plumbeum*, a quo gravatus caput se habere intelligeret. L. c.

(14) Qui urinam pertinaciter retinebat, persuasus, si mingeret, quod tota urbs periret diluvio, stratagemate quodam lepido, quasi tota incendio flagraret urbs, campanis pulsatis, ad liberandam civitatem per urinae emissionem sollicitatus, precibusque idea erronea ablata, sanitati pristinae restitutus est. L. c.

(15) Vir, qui nasum se credebat habere ulnae magnitudine, ab imaginatione ista liberatus est, astu chirurgi, qui, accommodato illius naso hepate bubulo, magna frustra rescindebat cum euphoria aegri. L. c.

(16) Qui cornua se gestare credebat, sensit levamen, postquam capiti alligata cervi cornua, serra secarentur. L. c.

(17) Feminae illi, quae putabat, ventriculo inhaerere serpentem, et rodere illum, vomitorium prius exhibitum est, dein clam talis bestia matulae imponebatur, unde persuasa eam expulsam medicamenti ope, convaluit, L. c.

(18) Aegrum, qui accusabat se habere ranas in ventre, ita allocutus est Gatinarius: « verum dicis et scio te multas habere in corpore ». Purgans dein praescripsit et jussit, ut affines ostenderent aegro egestiones cum ranis vivis impositis. L. c.

TULPII (19), SAUVAGESII (20), et nostra (21) comprobatur. Cum maniacis quot quot sunt le-

(19) Pictor imaginaria illa laborans ossium mollitie, amisit hanc insaniam, et juxta eundem auctorem (L. IV. c. 53.) aliis, qui coecos se credebant, visus est restitutus, solis stratagematibus medicis. L. c.

(20) « Artificio quodam ZACUTUS LUSITANUS sanavit olim melancholicum, qui se perpetuo frigere arbitrabatur, et vidimus hic Gratianopolitanum simili delirio per annos etiam calidissimos detentum; ipsum spiritu vini madida pelle lanigerâ cooperuit, et accenso spiritu per semi horam calefecit ad combustionem usque LUSITANUS, unde laetus, et tripudians se jam nimis calere exclamavit aeger, et brevi convaluit melancholicus ». L. c.

(21) Nobilissima femina triginta circiter annorum, plurimarum prolium mater, rebus mirabilibus, uti praesagiis ex chartis lusoriis, praeparationi cosmeticorum fidens, ab animi pathematibus, praecipue ab amore illicito agitata, quamvis parum menstruata, attamen jam a sex mensibus, quavis catameniorum periodo accedente, periculum lethalis metrorrhagiae sibi imminere imaginabatur. Cui ficto periculo obviam tunc ire conabatur statuae instar in lecto decumbendo, stragula rejiciendo, per signa loquendo, cibos, potumque gelidum sumendo, et abdomini aquam frigidissimam imponendo. Nec satis! simul enim vaginam turundis clam adimplebat, ad quas magis magisque firmandas manu sinistra partes genitales externas comprimere erat solita. Quoniam vero eodem pacto et alvinam evacuationem timebat, a qua se quammaxime debilitari asserebat, faecum excretioni digitum manus dextrae ano immittendo obstabat. Verisimiliter ut evacuationibus facilius invigilare

niter, et cum commiseratione agat medicus, ac praeterea altiori loco natis ea urbanitate, cui

posset, sese undique a candelis accensis circumdabat. Tempore menstruali periodo intermedio, vitam valetudinariam veluti hysterica duxit. Ultima menstruatione accedente, uti antea, se gessit, ea solum cum diversitate, quod nunc et lucem aversabatur et diutius solito, ob magis protractum metrorrhagiae timorem, quin vel lavationi, vel linteorum mutationi indulserit, decumbebat. Advocatus ad aegram (mihi prius ignotam), secunda jam hebdomade lecto affixam, interrogavi, quid pateretur? Tremente et demissa voce, verbisque intersectis, timorem suum de metrorrhagia, et lucis horrorem patefecit. Omnia, nulla mota difficultate, accepi, immo prudentiam aegrae in fluxu sanguinis praepediendo laudavi. Quoad horrorem lucis, me malum istud in longaeva praxi pro secunda tantum vice observare asserui. Quae singula fiduciam et benevolentiam aegrae quammaxime captarunt. Quaeso, addidit, sanastine aegrotum, qui lucem abhorrebat? Utique. Quibusnam remediis? Certe non pharmaceuticis. Quibus igitur? Libros pretiosos hereditario jure acquisivi, ex quibus plurima secreta vulgo medicorum ignota didici. Num communicabis mihi quid ex istis? Videbo, quo primum fortior eris; sed dic ante omnia, undenam horror tuus lucis originem ducat? Originem ducit a luce, quâ tota imbuta sum. Lux enim in venis meis in circulum agitur, lucida sunt mihi ossa, et omnia ad combustionem parata. Sed quo pacto ita a luce imbuta fuisti? Per candelas accensas, quibus me, incaute nimis, tam diu circumdedi. Jam satis! Liberabo te a nimia luce, et ab haemorrhagiae periculo. Sumpsi tunc solutionem oleosam phosphori in cavum manus meae chirothecae munitae, eaque

adsueti sunt, obviam eat; nec obliviscatur inveniri quacunque in civium classe maniacos,

clausa, aegram adivi rogando ut brachium mihi porrigeret suum. Exhibito brachio frictiones deorsum institui, sub quibus manum tantillum aperiendo, lux revera ex aegrae superficie manare videbatur. Obstupuit ipsa, et se valdopere recreatam esse asseruit. Illico cessavi. Rogo, ait, perge facere, perge. Nequeo, nisi prius experiar, utrum nunc radium lucis a candela emanantis perferre poteris nec ne. Successit experimentum, et sic repetitis periculis phosphoricis nunc manus, nunc pedes perfricando sensim sensimque secundo jam nychthemero candelam umbraculo munitam in ipso suo cubiculo perferebat. Rebus huc perductis faeces in intestino recto, et lintea in vagina collecta ulterioribus experimentis obstare monui. Tunc aegra remotioni horum obstaculorum non obstitit. Exhibui interea elixirium acidum Halleri cum aqua, et syrupo rubi idaei. Munditie, qua aegra alias valdopere delectabatur, adeo recreata fuit, ut paullo post et elegantia, sese limbis denticulatis et margaritis ornando, accesserit. Totam diem cum ipsa transigendo, colloquium a rebus ad morbum spectantibus ad res musicas, theatrales, aliaque hujus generis deducere sategi. Cum semel aegram in chartis futura quaerentem invenerim, ut instrumenta haec insaniae mihi traderet, expetii. Recusavit. Me illico, nisi accederet, abiturum fore (habitabat nempe in urbe quadraginta, et ultra miliaria Vilna distante) declaravi. Annuit tandem. Tali triumpho obtento omnia dein facile ad nutum procedebant. Iter nunc Vilnam proposui, quo valde recreata est. Proxima hic accedente menstruatione ipse quietem, et medicamenta ad haemorrhagiam uteri praepediendam,

qui per sensum gloriae, et honoris optime duci possunt (22). Captata aegrorum reverentia, benevolentiae illorum studendum. Conceditur hinc vel major libertas, vel melior diaeta, aut dona offeruntur etc. Medicus ordinarius suum habeat *secundarium* historias morborum exacte describentem. Visitatio medica nisi quid inconsueti accidat, alternis diebus sufficit. Praeterea vis in operationibus chirurgicis minoribus, et in praeparatione medicamentorum versatus ipse in gyrgatho resideat, absente medico, inspectori submissus. Receptus aeger secundum jussum medici vel proprias vestes retinet, vel eas gyrgathi induit. Curandum, ne arma, cultros, et similia celet. Inquirendum etiam, num psora, ulcera chronica, hernia etc. lateant. Capitis munditiei studeatur, et, nisi de plicoso, vel convalescente ex alio morbo agatur, crines rescin-

pro forma certe, exhibui. Aegra hac cautela contenta, nulla patefecit alienatae mentis signa. Jam sanitati tonicorum sub usu restituta videbatur, cum fervidissimae aestatis anni 1810 tempore, derepente in paroxysmum maniae saevientis per mensem durantem inciderit. Eo, veluti critico, terminato, omnino convaluit, ac Vilnam dereliquit. Sibi ipsi nunc commissa vitam adhuc ducit sanam, sed ut antea absurdam, et probrosam.

(22) Erhard in Wagners *Beytrage*, 1. B. p. 137. et Reil *Rhapsod.* p. 251.

dantur (23). Sexus inter se, (24), et aegroti altiori loco nati ab hominibus vulgi separandi (25); nil enim curae magis adversatur, quam maniacos diversae educationis inter se miscere. Aedificium a nobis propositum, utpote quatuor alas exhibens, separationes indicatas faciles reddit. Quivis autem aeger sine distinctione conditionis specialem inhabitet cellulam. Aegri inquieti; et immundi ad extremitates alarum prope latrinas (h) collocentur. Quousque fieri potest, aegri latrinas has communes adeant. Apud reliquos trullae citissime e cellulis removendae. Maniaci quietiores hic solum noctem transigant. Cum lecti quamvis ferrei a maniacis facile rumpi possint, ac lignei munditiei

(23) Morgagni de sed. et caus. morbor. Epist. VIII. 7. Harke in Hufeland's *Journ. d. pr. Heilk.* 25. B. 2. St. p. 69. Moreau in *mémoir. de la Soc. méd. d'émulation.* 2. T. p. 196.

(24) Vix concipi potest, Reilium separationi sexuum inter maniacos *non* favere (v. App. ad vers. germ. op. c. Coxii p. 63.).

(25) Et huic separationi Reil non favebat, l. c. Attamen ea instituto fontem lucri aperit. A justitia enim deflectere haud credimus, ut quivis dives, qui beneficio asyli publici pro modico fruitur pretio, ad sustentandum simul unum ex pauperibus persolvat; qui usus in asylo Yorkiano locum habet.

obstent, fulcrum lecti esto murale parieti cellulae adhaerens, parumque declive (i). Murales sunto et mensa, et sedilia opposito parieti affixa. Cooperiantur paries, lecto respondens, et lecti ipsius fulcrum culcitris stramentitiis, non neglectis ad aegrum cooperiendum debitis linteis, et lodicibus. In cellulis aegris saevientibus dicatis murus undique ad hominis altitudinem contabuletur. Ad propagationem soni ab aegrotis ejulantibus editi impediendum plurima auxilia, at hucusque incassum, indicata fuere (26). Ostium sat amplum pro fenestra januae opposita adeo sit altum, ut aeger illud attingere nequeat. Fenestrae foris aperiuntur. Ostium supra ipsam januam positum fenestra non indiget. Janua esto densa, sine sera, locoque illius, obice, corio, ad rumorem impediendum obducto, extrinsecus munita. Praeter ostium fenestrae locum tenens, janua adhuc habeat foramen forulo extrinsecus claudendum, per quod custos, quid aeger cellulae inclusus agat, videre possit. Absint catenae, et vincula ferrea (27), et aliae coërcitiones (*), locumque eo-

(26) AUTENRIETH *Beytrage.* 1. B. p. 212. Opus meum: *Reise nach Paris, London etc.* 2. Th. p. 182. REIL Append. cit. p 67.

(27) Jam consilio MOEBII (l. c. §. 73.) blanda ligamenta commendantur,

rum teneat *tunica manicata* (28), qua ad dorsum ligata, brachia decussatim trunco figuntur. Flagellatio proscribenda (29), nisi medicus maniacis saevientibus, aut pertinaciter malitiosis, aliisque ictibus infensis, unam, alteramve plagam, se praesente infligere jubeat (30), quo facto aeger illico blandiendus

(*) E. c. sedile a RISCH propositum, aut, ut dicunt, *der Brenkenhoff'sche Trog* (WAGNITZ *hist. Nachricht.* 2. B. p. 262).

(28) *Angl.* The straight waistcoat. *Germ.* Das Zwangkamisol. Imago habetur apud CHIARUGI T. I *d. Uebers.* fig. 4.

(29) Praeceptum istud aevo nostro non tribuendum esse, ex sequentibus THOMASII verbis elucet: « accedit quod etiam Principibus, et nobilibus furiosis dentur custodes homines vilioris conditionis, vel plebeii, iisque permittatur, metu furiosis; etiam ubi opus sit per verbera incusso, illos coërcere, ne conatus furiosos ita facile in actum deducant. At quis, quaeso, ita ruditer ab hominibus rusticis, et crudelioribus quotidie habitus, posset evidentia signa rationis restitutae aliis praebere, cum potius illa durities custodum, et rusticitas, si homini menti integerrimae saltem per aliquot dies accidat, capax sit eum furiosissimum reddere ». L. c. p. 12.

(30) Quamvis consilium CELSI (Lib. III. c. 28.): « ubi perperam aliquid dixit, aut fecit, fame, vinculis, *plagis* coërcendus est » a nonnullis brute secutum sit, attamen neque in oppositum extremum incidendum, et methodus, ut ipse expertus sum, aliquando efficax, plane rejicienda. Cfr. SANCASSANI Epist. v. HALLER bibl. med. pr. Vol. III. p. 601. et

(31). Aegrotis quietioribus atrium commune (k) pro mora diurna, praesertim hyeme, inservit; solitudo enim protracta, inprimis in loco non satis lucido (32) maniacis constanter nocet. Custodes e centro aedificii (l) uno oculi ictu, non solum ex quatuor atriis, sed etiam ex totidem hortulis (m), invigilare possunt. Fenestrae atriorum eam habeant formam, quam alibi fusius descripsi (33), et tabula aenea illustravi, quaque clathri, et inde adspectus carceralis evitantur, quin accessus liber aëris, aut necessaria aegrorum securitas impediantur. Hyeme pars totius aedificii, quae aegrotantibus inservit, ope

Wedel Propempticon inaugurale de verberibus medicis Jen. 1721.

(31) Swietenius ait: « Fuit homo satis celebris apud Batavos insanientium cura, qui hac methodo utebatur, et multos sanabat. Simul ac delirarent, tractabat miseros ferarum instar, verberibus, catenis, perfusione aquae frigidissimae, fame, siti etc. Dum mitescebant, omni modo blandiebatur illis, nihilque omnino negabat illarum rerum, quas desiderabant. Hoc modo effecit, ut metus verberum coërceret incipiens delirium, et tandem deleret vanas illas imaginationes: contra dum pacatum statum mox sequebantur omnia, quae placere ipsis poterant, felix saepe successit curatio ». L. c.

(32) Cox l. c. p. 81. Reil in Hoffbauers *Beitrage. I. Th. p.* 609.

(33) *Reise nach Paris, London etc.* 1. *Th.*

canalium subterraneorum, veluti loca culturae hyemali vegetabilium dicata, calefiat. Possunt quoque atria, arboribus, et plantis exoticis, interpositis variis volucribus adspectu, et cantu recreantibus, ornari. Fenestris nonnullis nabla sic dicta *Aeoli* (34) adaptari potest. Atque haec singula tunc tantum, dum non timemus, pecu-liarem nonnullorum aegrorum vitiatam imaginationem inde magis adhuc laedi posse. Materiae calefaciendi gratia adhibitae et lucem suppeditare possent nocturnam (35). Caeterum qualiscunque lux in atriis stabilita, per foramina super januas cellularum, et cellulas abunde illuminabit. Aestate fervida, et hyeme rigida exceptis, aegris quietioribus aditus ad hortulos umbra non carentes conceditur. Hic amplam opportunitatem invenient variis exercitiis gymnasticis, et lusibus indulgendi, uti equitatione (36), conorum lusui (37), decursioni ad annulos (38), cui ob id palmam concedimus,

(34) *Aeolus-Harfe.*

(35) De sic dictis *thermolampes* loquor.

(36) In hortulorum uno domituram equariam (n) constitui, quae saltem aegrotantibus divitibus inservire potest Stabula in propinquis sunt (o) simul cum locis curribus recipiendis idoneis, si aegro vectio concedi vellet.

(37) Portici (p) locum idoneum pro id exhibent.

(38) Vulgo *carousel.*

quod constet, *motum rotatorium* quatenus nauseam, et salutarem effectum in cerebrum excitat, ad potiora auxilia, quibus therapia maniarum locupletata est, pertinent. Omnem hinc laudem et *machinae rotatoriae* (39) tribuimus, qua tum in mania saeviente, tum in melancholica pluries utiliter usi sumus (40). Tempestate moram in hortulis impediente, *portici* (p) praesto sunt, sub quibus *balnea* tepida, calida, vaporosa, frigida cum vel sine immersione, aut praecipitatione locum inveniunt (aa). *Balnea* enim ad potiora adversus manias auxilia spectant. Iis, praecipue *tepidis* (41), utimur, ma-

(39) Legatur hoc de argumento Cox l. c. p. 158, 213, quem pro inventore hujus machinae habeo, quamvis editor operis illius germanici Bartelsmanni (in nota ad p. 207.) docte demonstraverit, motum rotatorium tum ab Ebn Sina (Lib. III. fen 1. Tr. 4. c. 17. p. 488.), tum a Kratzenstein (novum medicinae genus, nimirum vim centrifugam ad morbos sanandos applicitum, more geometrarum a. 1765.) jam dudum commendatum fuisse.

(40) Idem testatur cl. Horn v. *Archiv fur med. Erfahrung.* 1813. *Jan. et Febr. p.* 114.

(41) De balneorum tepidorum in maniis usu legantur: Wintringham comment. de quibusdam morbis. N. 258. Halle in *mém. de la Soc. R. de médec. T.* 8. Perfect l. c N. 78. Pinel (l. c. p. 329.) asserens: « *et depuis près de huit années ces bains sont devenus la base fondamentale du traitement des maniaques, et des mélancholiques* ».

xime in maniis arthriticis, aliisque amenorrhoea, cutis siccitate, agrypniis stipatis, vel ex fugatis impetiginibus ortis, nec non in genere puritatis caussa. *Balnea, fervidissima* gradatim *reddita* (a gradu scilicet 28 ad 34 thermometri Rheaumuriani), affusa simul aqua frigidissima super caput (42), necdum adhibuimus. Contra saepe ad temperandum nimium cruoris ad encephalum impetum, sedenti in balneo tepido maniaco, *embrocationem* capiti utiliter applicuimus (43). *Balnea frigida* valde hic laudata (44), si agatur de diuturna in iis mora, excepto in mare, timemus, nequaquam autem, si solum de *immersione* (45), aut *methodo ir-*

(42) Hac in methodo secretum DELAHOY, et LUCETT consistere TARDY (*The medical and philosophical Journal*) affirmat. Methodum vero istam novam non esse, DANIEL (*Beytrage zur medicin. Gelehrsamkeit. N.* 5.) docet.

(43) Cfr. *Reise nach Paris, London etc.* 1. *Th. p.* 87. TOLBERG in HUFELAND'S *Journ. d. pr. Heilk.* 26. *B.* 3. *St. p.* 32. PINEL l. c. p. 329.

(44) MUZELL l. c. THEDEN *neue Bemerk.* 1. *B. p.* 145. 146. TODE *Annalen.* 5. *B. p.* 72. FAXE l. c. LAZERME curat. morb. Vol. I. p. 101.

(45) PINEL (Op. c. p. 325.) praeconceptam opinionem contra istam methodum alit, quae hucusque omnium suffragia merito obtinuit. Ne enim dicam de VANHELMONTIO (demens idea p. 228.); ad BOERHAAVIUM (SWIET. comment. T. III. §. 1123.) provoco dicentem: « praecipitatio in mare, sub-

rorandi (46) quaestio sit. Indicatur ea potissimum, si mania ex abusu liquorum fermentatorum originem ducat (47), si conditio morbi inflammatoria, aut gastrica prius ablata fuerit, sique nulla adsint arthritidis signa. Hac sub rerum positione et *epithemata frigida capitis* (48), dummodo non diu protracta, adhiberi queunt. *Pediluviis*, praesertim irritantibus, maxime in mania periodica tempore paroxysmi locus est. Ut aegrorum mens et hyemali tempore recreari possit, latrunculi (49), aliique hujus

mersio in ea continuata, quamdiu ferri potest, princeps remedium est ». Accedunt: PECHLIN de vita sub aquis. WINSLOW *sur l'incertitude des signes de la mort.* Acta medica Berolinensia. Dec. I. Vol. 7. p. 61. BAYRARD *of the use of baths append.* Tode *Annalen.* 5. *St. p.* 72. BONNARD in *Journ de méd. T.* 64. *p.* 47. HILSCHER in TODE *med. Journ.* 5. *B.* 4. *St. p.* 14. WEBER obs. med. Fasc. I. p. 26.

(46) Creberrime ea utor, ac raro sine quodam levamine.

(47) CURRIE *uber die Wirkungen des kalten und warmen Wassers. p.* 150.

(48) HILSCHER l. c. WENDT *Nachrichten von dem klinischen Institut in Erlangen.* HUFELAND *neues Journ. d. pr. Heilk* 27. *B.* 1. *St. p.* 146, vel: *Journ. d. pr. Heilk.* 27. *B.* 1. *St. p.* 62. LEUTHNER *praktische Heilungsversuche der Milzdunste.* PIDERIT *pr. Annalen.* 2. *St. p.* 171.

(49) Jam RHAZES lusum latrunculorum hic commendat. L. I. c. 3. f. 6.

generis lusus (50) praesto erunt. Spectaculis theatralibus a REILIO propositis (51), et in nonnullis gyrgathis usitatis non favemus (*); maniaci enim per se jam nimis alienas ludunt partes. Praeterea omnia apud eos evitanda sunt, quae imaginationi pabulum praebent. Qua de caussa et libros (52) maniacis non facile, et nunquam aliter quam pro lectione alta voce instituenda (53) tradimus. Contra opportunitatem variis instrumentis musicis ludendi aegrotis procuramus. De *musicae* enim in maniis efficacia, dummodo ea vario illius characteri accommodata sit, nec antiquitas dubitaverat (54), nec illi, qui effectuum symphoniae in animum memores sunt (55), dubitabunt, nec quis medicorum praesentis aevi dubitat (56), quamvis et

(50) Cap. XVI. §. LXXI.

(51) *Rhapsod. p.* 246.

(*) Et ESQUIROL l. c. p. 229.

(52) HORN aegrotos hosmet inconsulto ad lectionem librorum, et ephemeridum politicarum adigere videtur. L. c.

(53) « Et vocis exercitium, quod cuique convenit ». CELSUS l. c.

(54) ASCLEPIADES apud CAEL AURELIAN.

(55) Cap. XX. §. LXXXII. 2.

(56) COX l. c. p. 89. 93. ROCHLITZ in: *musikalische Zeitung.* 6. *Jahrg. N.* 39, 42. KAUSCH *physiologische Abhandl. uber den Einfluss der Tone und der Musik auf die Seele. Breslau.* 1782. In ipso clinico Vilnensi bonos musicae effectus adversus maniam saevientem ann. 1815 experti sumus

hic exceptiones mihi obvenerint (57). Et *choreis* determinatis diebus, et horis indulgere licebit, quo in casu aegroti utriusque sexus usui rationis proximiores sub debita inspectione convenire poterunt. Cubiculum quoque *magicis apparitionibus* dicavimus (58), quibus tamen non nisi cum summa cautela (59) in mania chimera (60), phantastica (61), et saeviente (62),

(57) Mense maii an. 1815 a Dr. Herberski ad juvenem e stirpe maniaca ortum in consilium advocatus fui, qui omni mense per curriculum hebdomadis mania melancholica laborabat, caeterum vero sanus videbatur. Sub paroxysmo aeger iste a qualicunque musica in furorem praecipitabatur.

(58) Sub lit. *r*. Pavimentum hujus cubiculi poste versatili instructum esse deberet, ut aegri machinae ope in cubiculum inferioris contignationis (s) et ex hoc per foramen in subterraneum (t) demitti possent. Hic tentamina, quibus, ut mihi narratum est, *francomuratores* ad explorandum animum sociorum recipiendorum uti solent, in usum medicum deducere forte liceret. Cfr. Chiarugi l. c. p. 384. Et Reil *Rhapsod.* p. 209. Jam Celsus dixerat: « Subito etiam terreri, et expavescere in hoc morbo prodest, et fere quidquid animum vehementer perturbat ». (Lib. II. c. 18.)

(59) Consilia a Reilio data (*Rhapsod.* p. 225. 226. 238.), potius ad homines maniacos reddendos, quam sanandos idoneá mihi videntur.

(60) E. c. ad impressionem fortem super sensus faciendam, quum suggestiones imaginationis extinguere valeat.

uti licebit, semper memores, impressiones sic suscitatas maniacos longe aliter, quam homines sanos afficere. Haec cum ita sint, maniaci etiam non indiscriminatim ad *cultum Dei* admitti debent (63). Qua de caussa *aediculum* (u) potius convalescentibus, quam ipsis aegris dicavimus. Attamen ordine medici, inprimis si cum *ecclesiastico* instituti conveniret, exceptio fieri posset. Ecclesiasticus iste, si doctrinae maniarum non alienus foret, in plurimos aegros medici veluti manum dextram constitueret (64). Diebus operariis aegri, et praecipue convalescentes (64) variis laboribus manuariis, mechanicis, domesticis, aut rusticanis (dummodo evitetur quod sol caput allidat) occupandi (66).

(61) E. c. ad pacem animo per apparitionem quandam visioni angenti oppositam conciliandam.

(62) E. c. ad timorem audaciae opponendum.

(63) Quaestio magni momenti: *utrum maniacis exercitia religiosa concedenda sint nec ne?* a NIEMEYERO (PHILOTAS 8. 86.) negative resoluta est; quam sententiam REIL (App. ad vers. germ. op. COXII p. 35.) merito restrinxit.

(64) Gratias hic publicas theologiae nostro professori KLAEWICZ ago, utpote qui aegrotis meis maniacis in clinico summo cum emolumento adstiterat.

(65) PINEL l. c. p. 247. REIL l. c. p. 31.

(66) REIL hoc argumentum pulchre dilucidavit (*Rhaps.* p. 240.) Otium certe non solum vitia, sed et insaniam fovet. Praeterea laborum ope *attentio* aegrorum figitur, cui sco-

Hortus, et campi gyrgathum circumdantes (w), et species villae illis annexa (67), non solum oeconomiae instituti, sed et aegrorum saluti providere poterunt. *Diaeta* conditioni aegrorum peculiari accommodanda. Sunt, qui *fame* ad audaciam aegrorum frangendam utantur, ac revera maniaci, veluti bruta, aliquando tali auxilio domantur. Verum facile inde contingit, quod aeger scenam mutet, ac ipse dein alimenta recuset (68). Praeterea nonnulli per abstinentiam, aut victum parcum vel magis saevire incipiunt, vel magis fatui evadunt (69). Quare si morbus aut ex inedia proficiscitur, aut in hominibus victu lauto quondam adsuetis residet, aegri potius bene nutriendi sunt, concessa praeter juscula carnea, ipsa carne, quam alias tamen, illa amphibiorum (70) excepta, non libenter, sal-

po interdum et *itinera* inserviunt Quare Cael. Aurelian.; « Utendum etiam peregrinatione terrena, atque maritima, et animi avocamentis, quibus mentis laxatio fiat ». L. c.

(67) Lit. x. Legatur Pinel (p. 241.) de gyrgathis in villis erigendis.

(68) Sic mihi binis vicibus accidit. Cfr. Hufeland's *Journ. d. pr. Heilk.* 1. *Th. p.* 290. et 20. *B.* 1. *St. p.* 179.

(69) Pargeter l. c. p. 103. 108.

(70) Juscula e ranis, limacibus, testudinibus, viperis, non spernenda esse alibi docui. Cfr. Lorry l. c. p. 527., qui doctus vir et veterum opiniones circa esum carnis lepo-

tem quotidie maniacis concedimus; conducunt enim illis potissimum vegetabilia (71) subacida, antiscorbutica, non flatulenta (72), farinacea, panis, oryza, hordeum, avena, milium, solanum tuberosum, zea mays, et maxime fructus horaei sive recentes, sive conditi (73), nec non cibi lactei, butyrum, caseus acredinis expers, lacque purum vaccinum, equinum (74), asininum (75). Praeter sal commune (76), et semina

rinae, piscium etc. in melancholiis ad trutinam vocavit (p. 297.).

(71) Dolendum, nos ignorare, quid veteres sub nomine *troximium* sive *troxymia* intellexerint, num scilicet aliquod vegetabile in specie, num olera in genere; constat enim solum, troxymium in melancholiis ex obstructionibus victum admodum celebratum constituisse. Lorry l. c. p. 314.

(72) Miror tabulam diaeteticam nosocomii *La Salpetrière fabas*, et *lentes* continere, quas unanimi consensu in vesaniis rejecerunt veteres. Longe magis mihi diaeta arridet, quae in gyrgatho *Neuruppinensi* et *Baireuthensi* praescripta est (Niemann *Handbuch d. Staatsarzneywissenschaft. Leipz.* 1813. *I. Th. p.* 457).

(73) Lorry pro victu hyemali maniacorum *roob*, aliaque praeparata ex fructibus cum melle commendat. l. c. p. 315.

(74) Posidonius. v. Lorry l. c. p. 294.

(75) Teste Lorry (l. c. p. 361.), lac hujusmodi praesertim in melancholiis cum vitiis lienis in usu quondam erat.

(76) Sicuti generatim in diaeta nosocomiali ordinanda quam maxime ad *sal* oeconomiae animali tam necessarium respicere soleo, ita speciatim in diaeta gyrgathorum.

coriandri sativi, anethi foeniculi, ac sinapis nigrae, alia non facile admittimus condimenta. Quoad quantitatem cibi exhibendi, nisi media via semper teneri queat, potius excessu, quam defectu (77) peccandum est. Si noctes fuerint longae, et tunc voracibus quid porrigi debet. Optimum *potum* pro maniacis *aqua* constituit; vel si nutritionis necessitas urget, *cerevisia. Vinum* praecipue indicatur sub virium jactura, animi abjectione, extremitatibus semper subfrigidis, pulsu debili, et potissimum in aegrotis a pharmacis quondam inutiliter obrutis. Nec de regimine diaetetico loqui cessabimus, quin *veneris* mentionem injiciamus, utpote quae in maniis plurimis, praecipue in erotica, melancholica (78), moria (79), etc. sub rerum positionibus facile intelligendis, auxilium omni aevo celebratum (80) sistit. Illud in gyrgathis vix unquam lo-

(77) De pernicie defectus necessarii victus in maniis legantur Cox l. c. p. 95. et Pinel l. c. p. 232. 236.

(78) Perneau ergo melancholiae venus? Paris 1658.

(79) Marcellus Donatus. L. II. c I. p. 96.

(80) Imperator Augustus melancholia aegrotantibus Romanis, suavem, et cujuslibet ingenio bene convenientem conjugem, quae tanquam fidelis socia in laetis, et dulcis consolatrix in adversis tum sanum exhilarare, tum aegrum curare posset, ut praestantissimum remedium imperasse legitur (Dio Cass. in Caes. Aug. L. LVI.). Quam etiam

cum obtinere posse per se elucet. Omni enim sub respectu disciplina istiusmodi in institutis perfecta requiritur, non excepto ordine relate ad horas pastus, somni, laborum etc. (81). Tandem cum maniaci vel ab aliis morbis non immunes sint, et tales aegri peculiarem curam exposcant, in ipso gyrgatho peculiare valetudinarium (y) constituimus. Nec loci depositioni cadaverum dicati, cum cubiculis pro sectionibus, musei pathologici, ac bibliothecae monographias de maniis continentes obliti sumus (z).

expertam curatricem, quippe quae cor a curis avertat, et animum irritatum placet, nomine *viriplacam*, et *verticordiam* Romani sibi ipsis invicem commendarunt animis aegrotantes postea (Marlian. antiquit. Rom. L. III. c 3. Al. ab Alex. p. 57. etc. Brisson L. I. Valer. Max. L. II. c. I. L. VIII. c. 15.). Notat Arnold de Villanova, coitum per intervalla multum prodesse, et pulchras mulieres amplecti, tangere, secum jacere, ac verba salacia mirabiliter valere (Breviar. L. I. c. 18.); additque Bartholinus ex relatione Sylvatici, maniacam mulierem a ministris nosocomii St. Francisci Patavii saepius compressam convaluisse (Hist. anat. 2. obs. 69.). Tandem Alexander Benedictus Veronensis de maniaca narrat per totam noctem a quindecim viris venere defatigatam, et hinc largum mensium, qui annos aliquot substiterant, profluvium passam, non sine pudore diluculo menti sanae restitutam esse (L. I. c. 8).

(81) Reil (Append. p. 62.) hoc objectum plene explanavit.

De auxiliis chirurgicis, aliisque externis.

3. Jam vero ad *auxilia chirurgica* accedimus, quorum princeps *venae sectio* omni aevo controversiis multis ansam dedit. Favebant illi ALEXANDER TRALLIANUS (82), CELSUS (83), AVICENNA (84), SYDENHAMUS (85), THEOPHRASTUS (86), MERCURIALIS (87), ROLFINK (88), RIVERIUS (89), RIEDLIN (90), PLATER (91), etc. Restrinxerunt illius usum FERRIAR (92), PINEL (93), aliique inter recentiores, inprimis

(82) Lib. I. c. 22.

(83) Lib. III. c. 8.

(84) Lib. III. fen. 1. Tr. 4. c. 17.

(85) Op. T. I. p. 61.

(86) T. I. L. I. de origine morbor. cap. 4. ait: « *Sehet an in mania, was helft da, als allein sein Ader aufzuschlagen, so geneist er, das ist sein Arcanum, nicht Campfer, nicht Menuphar, nicht Salvia, nicht Majorana, nicht Clysteria, nicht infrigidantia, nicht das, nicht diess, sondern phlebotomia* ».

(87) Lib. X. c. 6. dicens: « omnis fere vis curationis in celeritate phlebotomiae posita est ».

(88) Meth. med. spec. consult. L. II. cons. 8. (ad lipothymiam usque).

(89) Prax. med. L. I. c. 13.

(90) Lin. med. 1696 p. 620.

(91) Obs. L. I. p. 86.

(92) *Medical histories.* Vol. 2. N. 2.

(93) Op. c. p. 318: « *C'est une évenément très-rare, et qui*

objiciendo, phlebotomiam aegros in fatuitatem conjicere. Ad nos quod spectat cum REILIO (94) toties ad venae sectionem confugimus, quoties mania est recens (95), ac in hominibus robustis, et succiplenis a suppressione haemorrhoidum, menstruorum, lochiorum, epistaxeos, pneumonorrhagiae oritur. Faciei rubor, pulsus plenus, fortis minus hic pro norma inserviunt, cum saepius ab agitatione aegri proveniant. Praeterea constat (96), ipsam inanitionem quandoque fallacia signa inflammatoria largiri. Cum vero maniaci saepe phlebotomiae sese opponant, nisi stratagemate uti liceat (97), delectus venae, ne dicamur de arteria (*), non

fait époque (!) *dans l'hospice des aliénés, qu'une saignée, depuis que je dirige ce traitement* ».

(94) *Fieberlehre.* l. c. §. 80.

(95) ARETAEUS L. I. diuturn. curat. Forte gyrgathorum medici ob id, quod plerumque aegros jam diu maniis detentos accipiunt, venae sectioni minus favent.

(96) Cox l. c. p. 49.

(97) BRUCKMANNI aegra (l. c.) se a spectris circumdata credebat. Medicus hanc ideam amplexus est, affirmans, spectra hujusmodi sanguinem abhorrere. Sic aegra sibi venam secare permisit, et convaluit.

(*) CAEL. AURELIANUS (p. 338.) sectionem arteriae temporalis prope supercilia commendavit, ast nonne in maniacis plus quam in ceteris timendum, sanguinem sisti non posse?

semper in potestate medentium est. Generatim, nisi jugularem externam (98) attingere possemus, saphenam tundimus. Quondam et venae sublinguales (99), et mammarum (100) aperiebantur. Copia cruoris detrahendi ad minimum libra (1). Ne fascia, aut emplastrum ad sanguinem sistendum adhibita ab aegro rejiciantur, probe cavendum. Venaesectione peracta,

(98) Locher obs. p. 60.

(99) Avicenna l. c.

(100) Slegelius in succincta de venarum sauciandarum delectu disputatione.

(1) De mania per enormem venae sectionem sanata, testatur praeter auctores citatos, *Med. National Zeitung.* 1798. p. 574. En novum exemplum. Die 15 octobris 1816 puella furibunda ad clinicum Vilnense institutum, me absente, delata est. Nil de morbi historia innotuit, praeterquam quod a cane rabido morsu petita fuerit. Cum aegra poculum aqua repletum rejecerit, morbus pro hydrophobia rabiosa declaratus, et venae sectionibus usque ad lipothymias subjecta est. Detractis quatuor, et ultra libris sanguinis, aegra illico mentis compos evasit ita, ut mihi accedenti diagnoseos errorem corrigere facile licuerit. Erat nempe puella a patre maniaco orta, admodum iracunda, veneri, et baccho indulgens, ante duas solum hebdomadas morsu petita, et ob timorem suscepti contagii diu noctuque ab animi pathematibus excruciata. Sana post sex hebdomadas clinico valedixit, relicto in parte saucia fonticulo.

aut non indicata, casu inanitionis excepto, curam morbi fere semper *hirudinibus* (2) capiti, aut ano, aut *cucurbitulis scarificantibus* nuchae, vel dorso admotis inchoamus; haecque auxilia pro re nata repetimus. Ad revulsionem obtinendam et cucurbitulas *sine scarificatione* hypochondriis, aut uteri regioni imponi jubemus (3), non neglecta quandoque *compressione carotidum* (4), et *varicum sectione* (5). In mania ex diathesi arthritica, et scrophulosa, aut ex alia aegritudine imperfecte judicata, aut ex impetigine praepostere fugata pullulante, item ad attentionem doloris ope ab idea quadam divertendam (e. c. in mania chimera, moria, phantastica), aut libidinem per cruciatus excutiendam (6) nullum auxilium *ulceribus ar-*

(2) De hirudinum in maniis usu legi merentur: Cael. Aurelianus (l. c. suadet totam corporis superficiem hirudinibus cooperiendam esse), Paulus Aegineta (L. III. c. 14. Hirudines nasibus, et auribus admovebat), Ephem. nat. cur. Dec. II. an. 4. obs. 19. Constant atrium medicinae Helveticum. Jaymes in *Journ. de méd.* T. 54. p. 425. Haslam l. c. p. 39. Reil *Fieberlehre.* l. c. p. 453.

(3) Fuschs disput. de melancholia. Jen. 1671. Praesid. Friderici.

(4) Parry *Samml. auserl. Abhandl. f. pr. Aerzte.* 13. B. p. 576.

(5) Matthis disputat. de mania. Argent. 1669.

(6) Ante biennium judaeam maniacam libidinosam ucravi,

tificialibus palmam praeripit. De *vesicatoriis* (7), *setaceis* (8), *fonticulis* (9), *cauteriis* (10), et *ustione* (11) loquimur, quorum singulorum unum, vel alterum, nisi sanguinis affluxus ad caput jam aliunde magnus sit, ad basin cranii, aut ad nucham, alias ad extremitates, ad hypochondria etc. applicantur (12). Si morbus a psorae mala medela ortum duxerit, illius restitutio (13) indicatur. Psorae insitio et in mania

quae quoties a vesicatoriis, aut setaceis, aliunde indicatis, excruciabatur, toties nulla libidinis vestigia patefaciebat.

(7) N. act. nat. cur. Vol. VIII. obs. 28. Paracelsus (L. II. de morb. ament. c. 2. Apertionem apicum digitorum manuum, et pedum per valida vesicatoria suadet). Auenbrugger *von der stillen Wuth.* Thilenius *med. chir. Bemerk.* p. 236. Hufeland's *Journ. d. Heilk.* II. B. 4. St. p. 157.

(8) Ferriar, Perfect. l. c.

(9) Zacut. Lusitanus l. c. Lib. I. obs. 46.

(10) Gordonius (Lib. med. P. II. c. 19.) efficaciam cauteriorum ad suturas coronales probat. Mercurialis brachia, et crura eligebat. Septem cauteriis usus est Severinus (med. efficaci). Cauteria ad cranium, ut os nudum inde compareat, praescribit Arnold de Villanova l. c.

(11) Cfr. auct. cap. II. §. XII. 3. citati.

(12) Pargeter (l. c. p. 55.) et Perfect (l. c. *Anh.* p. 11.) omni jure usum vesicatorii capiti indiscriminatim applicandi reprobant, haecque auxilia saepe cruribus admovent.

(13) Odier *manuel de médecine pratique.*, p. 184. Descott in *Journ. de méd.* T. 46. p. 474. Bartholomaeus in Hufeland's *Journ. d. pr. Heilk.* 26. B. 4. St. p. 113.

melancholica attonita quoad motum cum successu tentata est (14). Quae mania a violentiis externis, et a carie calvariae oritur, haec, praesentibus generalibus *terebrationis cranii* indicationibus, hanc ipsam admittit operationem (15) *Castratio* (16), a nobis alio in morbo nervoso cum stupendo effectu adhibita (17), institui posset, si mania praecipue ab affectione testiculorum, et a pollutionibus aliis remediis rebellibus foveretur. Forte aliquando et de *ovariorum extirpatione* (18) cogitare liceret. Dum caussa maniam excitans in abdomine, aut pelvi haeret, *emplastra* variae indolis (19), et *cataplasmata* (20) regionibus affectis superimponi

(14) Mutzell *collection d'observations.* T. I. p. 30. Reil *Fieberlehre.* l. c. p. 483.

(15) Rhodius Cent. I. obs. 43. Severinus de efficaci medicina p. 125. Hartmann prax. chymiatrica, cap. prop. Gaininarius Tract, II. c. 9. Sachtleben *Pathologie der auszehrenden Krankheiten.*

(16) Ephem. nat. cur. Cent. I. et II. obs. 62. Cent. IX. obs. 67. Rolfink l. c. p. 79. Valentini prax. infallibil. p. 225. Schurig *Spermatologie.* p. 432. 439. Smetius miscellan. L. X. p. 524. Riverius observat. communic. p. 680.

(17) Sect. II. Cap. de epilepsia.

(18) De hac operatione quaestio fiet, P. IV. Vol. II. capite de morbis ovariorum.

(19) Cap. I. §. VI.

(20) Auenbrugger (l. c.) in mania eroticà cataplasma emol-

possunt. Nec frictiones universi corporis (21), abdominis (22), et partis capillatae capitis, quasi vellicando (23), negligendae sunt. Veteres crebro caput variis cum *decoctis* (24) lavabant, et *errhinis* utebantur (25). Aliquando cum successu *unguentum supertartratem potassae*, et *antimonii* continens nuchae inunximus (26). Familiares nobis sunt *clysteres* (27) cum eodem *sale stibiato*. Tandem *electricitas*, praesertim in mania melancholica,

liens tepidum abdomini, et partibus genitalibus applicabat.

(21) Boerhaave de morbis nervor. Vol. II. Hilscher in Tode *med. chir. Journ.* 5. B. 4. St. p. 15.

(22) Salamade (*Journ. général de méd. etc.* 1811. *Nov.* p. 272.), frictionem abdominis cum unguento *colocynthidem* continente commendat, asserens alvum inde moveri, quod a mea experientia non confirmatur.

(23) Furiosi tam simplici artificio aliquando placantur.

(24) E. c. ex speciebus cephalicis. Quercetanus de re medica. Lib. IV.

(25) Ruland cur. empir. Cent. VI. cur. 100. Reil *Fieberl.* l. c. p. 481. *Gaz acidum muriaticum* ut sternutatorium commendat Pargeter l. c. p. 67. Chiarugi opium, scopo narcotico, naribus illiniri curat. *Pulverem nicotianae* maniacis pro praemio exhibere soleo.

(26) Familiare hoc auxilium erat D. Nord quondam gyrgathi Viennensis medico experto.

(27) Eorum laudem canit praecipue Saxonia (Pr. med. L. I. c. 16.).

et fatua utiliter adhibita est (28); quod et de *galvanismo* (29), et *magnetismo animali* (30) contenditur.

De pharmacis internis.

4. *Pharmaca interna* in maniis celebrata, ac si fieri potest sine magna violentia porrigenda ex classe *emeticorum*, *purgantium*, *resolventium*, *tonicorum*, *stimulantium*, *narcoticorumque* petuntur. *Emetica* omnium suffragia collegerunt (31), ac revera, absente encephali plethora (32), in aegrotis non admodum sensibilibus (33) veluti sacram anchoram constituunt. Quae laus praesertim *supertartrati po-*

(28) Bertholon de St. Lazare *Anwendung u. Wirksamkeit der Electricitat.* 2. *B. p.* 39. Petetin in *séance publique de la Soc. de méd. à Lyon. ann. VIII.* Perfect l. c. N. 106, 107, et 168; simul ad auctoritatem chirurgi J. Birch provocans.

(29) Aldini *essai sur le galvanisme*, *p.* 3. et Brugnatelli *annali di chimica e storia naturale. T.* 29. Walther *uber die therapeutische Indication der Operation des Galvanismus.*

(30) Reil *Fieberlehre.* l. c. p. 469. Gmelin apud Mauchart l. c. 4. B. p. 128. Esquirol l. c. p. 237.

(31) Celsus L. III. c. 18. Ferriar l. c. Vol. II. N. 2. Perfect l. c. N. 48. Cox l. c. p. 118.

(32) Haslam (l. c. p. 92.) in aegroto plethorico ab emetici usu apoplexiam et paralysin vidit.

(33) Lorry l. c. 2. Th. p. 230.

tassae, et *stibii* tribuenda est, nunc ad nauseam excitandam (34), nunc ad vomitum ciendum, dosin circiter triplicem solita (35) praescribendo, vix unquam alimentis commiscendo (36). *Purgantia* praescribuntur, si mania ex primis viis originem trahat, si aeger vorax fuerit, si alvi obstructio pertinax sit, et praecipue si morbus sub forma melancholiae compareat (37). Nisi *eccoprotica*, et *mitiora purgantia* (38), ut salia media, potissimum *tartras potassae* (39), effectum praestent, ad fortiora, et *drastica* deveniendum, inter quae maxime

(34) Wintringham in not. ad Mead monit. Baldinger l. c Voss in Hufeland's *Journ. d. pr. Heilk.* 5. *B. p.* 908. Schlegel *Materialien fur die Staatsarzneywissenschaft.*

(35) Plerumque grana decem tartari *emetici* in libra una aquae destillatae, omni secunda hora ad uncias duas exhibeo.

(36) Cum tartarum emeticum aliquoties inscio aegroto cum potu aut cibis porrexerim, contigit, quod idea veneni exhibiti orta sit, quo facto omne genus alimentorum dein recusabatur.

(37) Boerhaave apud Swieten l. c. §. 1117. Lorry l. c. p. 392.

(38) Lorry animadvertit (l. c. p. 230), leniora purgantia interdum facilius alvum ciere quam fortiora, quod tamen videre mihi nunquam contigit.

(39) Reliquis salibus anteponitur a Fordyce (*Samml. auserl. Abhandl. f. pr. Aerzte.* 11. *B p.* 487.) Willich (Balding. n. *Magazin.* 8. *B. p.* 252.) Perfect l. c. Cox l. c. p. 137.

extractum herbae gratiolae officinalis (40), *radix veratri albi* (41), et *aloë succotrina* (42) familiaria sunt. In sensilioribus aegrotis antispasmodicis jungenda sunt (43); et in genere vehemens alvi evacuatio evitanda (44). Quamobrem tutissime *resolventibus* utimur, et quidem non tantum in mania melancholica, sed et in omni alia labefactationi viscerum abdominalium juncta. Spectant huc: *serum lactis* (45),

(40) Kostrzewsky diss. de gratiola. Vindob. 1775. Fischer *Anleitung zur Armenprax. p.* 375. 383. Beyer in *n. Abhandl. der Schwed. Akad.* 20. *B.* Hufeland l. c. 14. *B.* 1. *St. p.* 184. Seelig in *allgemein. Annal. f. d. Jahr* 1811. Dosis a scrupulo uno usque ad drachmam spatio nychthemeri.

(41) De quaestione, utrum haec stirps *helleborus albus* priscorum Graecorum fuerit, legatur: Schulz diss. de helleborismo veterum. Hal. 1717. Lorry l. c. p. 403. Greding l. c. 1. B. p. 179. Arnold l. c. 1. Th. p. 31. Reil *Fieberl.* l. c. p. 476. et Hahnemann de Helleborismo veterum. Lips. 1812. Exhibetur extractum veratri albi a granis tribus ad scrupulum unum spatio nychthemeri.

(42) Aretaeus l. c. L. I. c. 5. Perfect l. c. N. 80. Cox l. c. p. 138. Exhibetur praecipue ad fluxum menstruorum, et haemorrhoidum, absente plethora, restituendum.

(43) Sic veteres omni fecisse jure Lorry monet, l. c. p. 231. Jahn (l. c.) gratiolam cum aqua lauro-cerasi jungebat.

(44) Consilio Lorryi l. c. p. 252, qui, si tale malum accideret, usum lenis *narcotici* suadet.

(45) Baricellus de lactis seri, et butyri facultatibus, et usu. Lorry l. c. p. 178.

mel (46), *aquae minerales saponaceae* (47), et *salinae* (48), decocta saturata *radicis tritici repentis* (49), *leontodontis taraxaci*, *rubiae tinctorum*, herbae *asplenii scolopendrii* (50), *cuscutae epithymi* (51), *anagallidis arvensis* (52): porro gemmae conditae *capparis spinosae* (53), extractum *chelidonii majoris* (54), *eupatorii cannabini* (55), et quodammodo *mercurius* (56). Indicatur vero hoc phar-

(46) Lorry l. c. p. 292. Mel sero lactis junctus quondam pro antidoto melancholiae habebatur.

(47) P. II. Vol. I. p. 60.

(48) Ibid. (17.). Cfr. Hufeland l. c. 14. *B.* 1. *St. p.* 185.

(49) E. c. cum melle, et granis nonnullis tartari emetici, aut drachma una, alterave tartari tartarisati.

(50) Galen. praesertim in affectionibus lienis commendat. Cfr. Lorry l. c. p. 356.

(51) Obsoletum est; ast obtinuerat suffragia Galeni (L. XIV. method.), Aetii (L. II. c. 29.), Dioscoridis (L. IV. §. 1.), Wedelii (ann. med. p. 244.). Cfr. Lorry l. c. p. 350.

(52) Quercetanus. Matthis l. c. et Moeb. l. c. § 68.

(53) Galeno suadente.

(54) Lorry l. c. a scrupulo uno ad drachmam de die cum vino, sero lactis etc.; praesertim labefactato hepate.

(55) Lorry l. c. p. 358.

(56) De usu mercurii in maniis legatur: Spies diss. de melancholia hypochondriaca salivatione mercuriali extirpata. Weimar. Smith in *medical repository. Vol. I. N.* 2. *art* 6. Schulz in *Fort-Sattning of Provincial Doctovernas Berattelser. p.* 271. Beling in *Memorabilien der Heilkunde v.* Kausch. *Zullichau* 1813.

macum non solum ad resolvendam obstructionem hepatis tam frequentem comitem maniarum (57), sed etiam ad latens in cerebro extravasatum absorbendum (*), ad salivationem salutarem excitandam (58), quandoque nocivam cohibendam (59), et vitium scrophulosum debellandum. Quo ultimo in casu plerumque *oxydum hydrargyri*, et *antimonii sulphuratum* alternatim cum *muriate calcis*, aut *muriate barytis* (60) exhibemus. In reliquis vero vel *muriatem hydrargyri*, vel *unguentum hydrargyri griseum* praescribere solemus. Ad *tonica* recurrimus, nullo habitu respectu formae maniae, si aeger fuerit exhaustus, debilis, et absente primarum viarum saburra. Maxime hic sese commendant *cortex cinchonae officinalis*

(57) Sic duas hystericas, praeviis capitis, et hypochondrii dextri doloribus maniacas redditas mercurii ope sanavit CHISHOLME (*Medico-chirurgical transactions, publisched by the medical and chirurgical society of London. Vol. IV.* 1813.

(*) Quo in casu vires hydrargyrii ope *florum arnicae montanae* sustinere soleo.

(58) PERFECT l. c. N. 2.

(59) Judeam Vilnensem mania melancholica attonita cum magno ptyalismo laborantem frictionum mercurialium ope, sanitati restituit Dr. LIBOSCHITZ.

(60) HUFELAND *vollstandige Darstellung etc. 2. Abschn. Berlin* 1794.

(61), et *mars* (62), illud sub forma *infusi frigidi*, hic in *aquis* sic dictis *ferruginosis* (63). Si labefactatum systema nervosum tonica simplicia respuat, ea cum *aromaticis* exhiberi debent. Inter haec laudem acquisiverunt *siliqua epidendron vanillae* (64), *stirps hyperici perforati* (65), et *hyacinthus* (66). Mania ab imperio, quod partes genitales in cerebrum exercent, pendente, eaque sub forma nymphomaniae, satyriasis obveniente, aut quocunque demum in casu, si pollutiones urgeant, vel morbus ex puerperio originem ducat, dummodo plethora, et sordes primarum viarum non obstent, *camphora* veluti specificum agit (67). Neque

(61) Lorry l. c. p. 237. Ferriar l. c. p. 93. Reil l. c. p. 467.

(62) Lorry l. c. p. 101. Vide supra §. 22.

(63) Lorry l. c. p. 216.

(64) *Medical museum. Lond.* 1781. *Vol.* 3. *p.* 342. Pargeter l. c. p. 110. Reil l. c. p. 468.

(65) Welsch Lib. obstr. c. 38. Angelus Sala oper. med. chimica. p. 7. Locher (observat. pract. p. 71.) hoc remedium sub forma infusi incassum adhibuit.

(66) Cardanus curat. mirab. 3. Pro specifico habuit.

(67) Sic jure testantur: Paracelsus *Bucker und Schriften* De morb. ament. Tract. II. c. 2. T. I. p. 501. Ettmuller op. Francf. T. I. p. 578. Sennert op. c. L. IV. P. 2. sect. 3. c. 5. Kinneir *philos. transanct.* Vol. 35. p. 347. Werlhoff commerc. Norimb. 1733. p. 221. Joerdens ibidem. 1736. p. 5. Paulizki *med. prakt. Beobacht.* P. II. Herz

ad hoc semper indicationes ab AUENBRUGGER (68), et aliis (69) stabilitae requiruntur. Exhiberi solet cum *aceto* (70), aut cum *nitrate*

in SELLE's *Beytrage zur Natur und Arzneywissenschaft.* 1. Th. p. 127. Interea camphoram et incassum hic exhibitam fuisse, praeter nonnullas proprias observationes docent MUZELL (*med. und chir. Wahrnehm.* 1. *Samml.* p. 50. 65.), CULLEN (*First lines of the practice.* Vol. 4. p. 164.), et RICHTER (*Med. chir. Bemerk.* Berlin 1813. 2. B.).

(68) Experimentum nascens de remedio specifico sub signo specifico in mania virorum. Viennae 1776. Docet camphoram apud eos maniacos indicari, quorum membrum virile sub paroxysmo contractum, mirabiliter exile, durinsculum, leniter ad interiora flexum est, quorum scrotum corrugatum, et manibus palpatum vacuum cernitur, ambis testiculis revulsis, et ad superiora quasi inclavatis, ac genitalibus subfrigidis. In feminis vero camphorae usum ex tremore digitorum, praecipue vero ex singulari manuum ad interiora intorsionem colligit, dum pulsus carpi contractentur, quae quidem signa et sese supra dictis associare in viris refert. L. c. p. 145.

(69) Camphoram tutius dari illis, quorum facies pallet, extrema frigent, respiratio lenta, et arteriarum ictus torpent, creditum fuit, unde BURSERIUS illam maxime melancholicis conducere asserit (Inst. med. pract. Vol. III. p. 189.).

(70) Formula LOCHERI (l. c. p. 64.). R. Camphorae drachmam semis, sacchari, et gummi arabici aa drachmas duas. Subige, et adde aceti calidi unciam semis, aquae florum

potassae (71), et quidem eousque, donec motus febrilis, sudor, et somnus inducantur (72). Ad *moschum* in maniis a suppressis sive morbis cutaneis, sive transpiratione, et maxime in juvenibus, et feminis admodum sensibilibus confugimus (73). Sensibilitatis enim in maniis tanta habenda est ratio, ut, quo primum ea valde exaltata animadvertitur, a stimulantibus abstinendum, et ad *emulsiones* (74), ad *acida vegetabilia*, ac inprimis ad *acetum* (75) deveniendum sit.

sambuci uncias sex, syrupi florum rhoeados unciam unam. M. Cfr. SCHONHEYDER in Soc. med. Havn. collect. Vol. II. p. 107.

(71) BOENNEKEN *Frankische Samml.* Vol. 5. p. 294.

(72) PERCIVAL hunc ad scopum camphoram omni hora ad scrupulum exhibebat (*Mem. of the medical Society of London.* Vol. 2. p. 288.); minori dosi contentus sum.

(73) Vide de usu moschi in maniis: LOCHER l. c. p. 62. PARGETER l. c. p. 64. GMELIN diss. sistens specificum novum adversus morsus rabidi canis, manias, et melancholias. Tub. 1750. TRUKENMULLER diss. affectus melancholici historia. Erlang. 1786. THILENIUS l. c. p. 233. MEDICUS *Beobachtungen.* 2. B. p. 603. et: *Abhandl. der Baier. Academie.* 2. B. p. 299. PERFECT l. c. p. 364.

(74) MORGAGNI op. c. Epist. VIII. art. 5.

(75) LORRY l. c. 2. B. p. 380. BANG in act. R. Soc. med. Havn. Vol. I. p. 95. 106. 114. Vol. II. p. 52. LOCHER l. c. p. 66. BUCHOZ *diss. en forme de lettre sur la propriété du vinaigre distillé pour guérir la manie. Paris l'an VI.*

Opii in maniis usum ad angustos limites reducimus. Utimur enim eo solummodo in maniis periodicis, et puerperarum, praemissis indicatis sanguinis, et saburrarum evacuationibus, ac urgente vigilia convalescentiam impediente, in maniis unis animi pathematibus originem debentibus, et in maniis melancholicis, aut phantasticis (76) peculiari moerore vel anxietate stipatis. Sunt, qui indicationibus pro opii usu majorem latitudinem concedunt (77). Quocunque in casu, quoties id revera indicatur, liberali manu incedendum (78). Vix unquam morem *opium* aliis pharmacis, ut *nitrati potassae* (79), *camphorae* (80), *cinchonae* (81), *aci-*

(76) HERGT de melancholia religiosa usu opii sanata. Jen. 1804.

(77) Sic asserit Cox (l. c. p. 150.) emetica postridie exhibenda facilius vomitum ciere, si aegro ante cubitum debita opii dosis porrigatur. Et ODIER in notis ad versionem gallicam COXII, opii usum in maniis extendere optat.

(78) Exemplo WENDELSTAEDT *Samml. med. Aufs.* 1. B. C. 3. N. 7. WINIKER in HORNS *Archiv fur med. Erfahrung.* 3. B. 1. St. p. 161. ROBERT in *Journ. de méd.* Vol. 13. p. 265. BINNS in *new medical Journal.* Vol. I. P. 2. BRANDRETH in *medical comment. of Edinburgh.* II. Dec. Vol. 6.

(79) PERFECT l. c. N. 88.

(80) FRIBORG coll. Soc. med. Havn. Vol. II. p. 176.

(81) FERRIAR l. c. p. 93. HERGT apud HUFELAND l. c. 27. B. 1. St. p. 48.

disque vegetabilibus (82) miscendi sequimur. *Extractum hyoscyami nigri* iisdem circiter sub rerum positionibus ac opium, et tutius quidem, cum alvum non cohibeat, sed minori cum effectu, exhibetur. FOTHERGILLIO (83) vero, et STORKIO (84), utpote vires hyoscyami nimis extollentibus, cum GREDINGIO (85) non assentimur. Majoris certe momenti *atropam belladonnam* facimus, praesertim si mania cum epilepsia (86), aut cum visionibus obveniat, qua in re cum multis consentimus (87). Dosis sive foliorum, sive extracti ab uno ad quinque grana bis terve de die. *Datura stramonium* sub forma vel *extracti* a grano uno ad scrupulum, vel *tincturae* a guttis decem ad sexaginta, dosibus bis terve de die repetitis, in maniis in-

(82) COX l. c. p. 151.


(83) V. PARGETER l. c. p. 66.


(84) Lib. de stramonio, hyoscyamo etc. p. 26.


(85) Op. c. 1. B. p. 1. 36.

(86) GREDING l. c. p. 114. 168. KAEFER in *Journ. der Erfind.* 6. B. p. 130.

(87) EVERS in *Berlin. Samml. 2. Beförderung der Arzneywissenschaft.* Th. 5. p. 565. MUNCH diss. observat. prop. circa usum belladonnae in melancholia, mania, et epilepsia. Goett. 1783. LUDWIG diss. de belladonna, ejusque usu in vesania. Jen. 1789. REMER apud HUFELAND op. c. 17. B. 2. St. p. 127. *Annalen.* 1. B. p. 215. SCHMALZ *seltenere Fälle.* p. 79.







Arghinenti inc.

quietudine, vigiliis, alvo tarda, cuti sicca, urina pauca stipatis exhibitum singulis istis incommodis, monente jam GREDINGIO (88), occurrere solet. Stramonio praesertim ibi utimur, ubi latentis vitii carcinomatici occurrit suspicio; quo in casu et *arsenico* (89) prudentissime locus foret. Caeterum, uno casu excepto, nullam maniam radicitus ope stramonii curare licuit. Feliciores hinc fuere STORK (90), REEF (91), ALLIONI (92), et GRANDIDIER (93). Miramur, *agaricum muscarium*, utpote vehementem in cerebrum actionem exercentem (94) necdum in maniis tentatum fuisse. Postremo *digitalis purpurea* nobis auxilium exhibet, certe non idoneum ad manias inveteratas ex vitiis organicis pullulantes debellandas, sed saepe par praedispositioni ad manias ex caussa scrophuloso-inflammatoria pendenti frenum injiciendo (95), affluxui sanguinis ad caput imminuendo,

(88) Op. c. I. B. p. 37 103.

(89) ACKERMANN in BALDING. *n. Magazin fur Aerzte.* 2. *B.* 5. *St.* 1780.

(90) Lib. de stramon.

(91) STRANDENBERG *om chron. Spikd. p.* 16.

(92) Flora Pedemontana. T. I. p. 113.

(93) MONCH's *Arzneymittellehre. p.* 282.

(94) Cap. XXV. §. XCVII. N. 5.

(95) Sic pluries expertus sum. Forma fortis infusi foliorum utor.

obstructionibus glandularum lymphaticarum resolvendis, humoribus extravasatis absorbendis, eliminandis, sensuum, inprimis visus exaltationi compescendae, atque salutari nauseae, aut vomitui promovendo, hinc communissimis in maniis indicationibus satisfaciendis. Quam ob rem digitalem hic libenter cum PERFECT (96), COX (97), multisque aliis (98) canimus. De *prophylactica maniarum* (*), praesertim *haereditariarum* agendum nunc foret; ast, cum omnia, quae ad hujusmodi spectant argumentum, ex rebus, hucusque in medium allatis sponte intelligi possint, praesenti *capiti*, quin immo *tractatui de morbis cerebri* finem imponimus.

(96) L. c. p. 375.

(97) L. c. p. 131. 136.

(98) FERRIAR l. c. p. 92. CURRIE in *mem. of the medical Society of Lond. Vol.* 6. *N.* 2. DARWIN *Arzneyk. Abh. v. London.* 3. *B. p.* 214. JONES in *medic. Comm. v. Edinb.* 2. *Dec.* 1. *B. p.* 18. 13. *B. p.* 23. PIDERIT *pract. Annalen.* 1. *St. p.* 76.

(*) Legi meretur ESQUIROL. l. c. p. 237.

INDEX RERUM

QUAE

IN HOC VOLUMINE CONTINENTUR.

V. Tosi Revisor Archiepisc.

V. Testa Pr. ac R.s

Imprimatur.

V. Bessone pro M. Cancellaria.

